IOANNIS NICOLAII SECUNDI

OPERA OMNIA.

Digitized by Google

IOANNIS NICOLAII SECUNDI
HAGANI

OPERA OMNIA,

EMENDATIUS ET CUM NOTIS ADHUC INEDITIS

PETRI BURMANNI SECUNDI

DENUO EDITA

CURA

PETRI BOSSCHA,

Philos. Theor. Mag. Liter. Hum. Doct. earumdemque in Illust. Daventr. Athenaeo Professor.

TOMUS SECUNDUS.

NAPOLI

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
CIƆIƆCCCXXI.

Digitized by Google

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

ODARUM LIBER.

ODE I.

CAROLO V. ROMANORUM IMPERATORI CORONATO.

Adeste, magni progenies patris,
Musae, potenti carmina Caesari
Cantate, quae fides priorum
Hactenus haud tetigere vatum.

Quae

ODARUM LIBER.] Si quis iusto iudicio Secundi opera aestimare velit, nae ille has Odas cum reliquis eius carminibus eodem haud pretio habebit. Regnat in iis idem animi candor, idem affectus ergà amicos, eadem facilitas ingenii: at abest illa sublimitas animi, ille impetus, quo extra nos rapimur, et qui aut ubi simus nos ignorare facit, quibus virtutibus Horatius et Sarbievius, quantum poëta poëtae praestet, ostendunt. Rectius igitur de his odis iudicarunt Petr. Scriverius et Tissotus in Praefat. ad versionem suam Gallicam; rectius, inquam, quam Theod. Beza, qui cum in Epigrammate in honorem Secundi reliqua laudibus extulisset, deque Odis ita cecinisset:

Sive lyram variis sic aptat cantibus, ut sit
Victum erubescat Pindarus.

 de

Quae saxa rursum, quae moveant feras,
Aquasque sistant blanda volubiles,
Quae mulceant aures canore
Omnium ubique hominum suävi.
Gaudete cives, plaudite, plaudite:
Gaudete quotquot terra tenet bonos,
Curasque tristes, atque acerbos
Pellite pectoribus dolores.

Sum-

de Basiis vero ne verbum quidem addidisset, hoc epigrammate iudicii paulum limati poenas dedit Scriverio, auctore licet non nominato:

In censorem Gallicum.
Potin' verba perita et illecebras,
Et cum murmure sibilos suäves,
Potin' basia, delicate Censor,
Nectarque, ambrosiamque praeterire?
Qui laudas Batavi lyram Secundi,
Sic ut Pindarus erubescat ipse,
Secundo neque sit secundus alter!
Fugit te ratio: nec ille spirat
In Odis genius, decensve cantus.
Quod si iudicium meum requiras;
Pluris, Gallice, Basiator unus,
Quam tales mihi Pindari trecenti.

Carolo V.] Haec solemnitas Aquisgrani 1520. peracta est. Vide P. Heuterum L. VIII. Rer. Austriac. c. 11. P. Petitum in Chron. Gallico Holl. et Zel. L. VII. initio. Goudhoevium in Chron. Belg. p. 581. et Auctor. Chron. Fland. Vol. IV. p. 185. Postea d. 24. febr. 1530. etiam a Papa Clemente VII. Caesar coronatus est Bononiae, ut idem narrat. p. 194. Burm. Ultimam hanc solemnitatem hic esse intelligendam vel hinc patet, quod tempore prioris illius coronationis Secundus puer erat novem annorum. Supra etiam Epigr. L. I. ep. 43 et 44. alterius memoriam a Iano celebratam fuisse vidimus.

Sumsit sacrato debita vertici
Post tot moras tandem diademata
Ille optimusque, maximusque,
Ille vagum domiturus orbem.
Erro? anne vati talia fervido
Sagax futuri Cynthius indicat?
Quaecumque suggeris, precamur,
Ut Superis rata sint, Apollo!
Et noscat Ortus, noscat et Occidens
Unum potentem Caesara Carolum,
Quo mitius, clementiusque
Nil dederuntve dabuntve secla:
Non si recurrant tempora, quae Iovis
Ferunt parentem, falciferum senem,
Rexisse, cum Fides, Sororque
Iusta pio superesset orbi.

Er-

v. 16. *Vagum — orbem*] Notetur significatio *orbis vagi* pro *late patentis*, apud Latinos haud obvia.

v. 22. *Caesara*] Heinsius Claudiani versum Epist. III. v. 4. sic legere malebat:

Carmina seu fundis, seu Cicerona tonas.

pro vulg. *Cicerone*, quoniam et sic Petronius *Platona* dixit. Sed Burmannus ibidem observat Heinsium nimis pronum esse in Graecas flexiones, sed eas male usurpari in Latinis vocabulis, recte vero in iis, quae origine Graeca sunt, velut *Platona*, *Agamemnona*, cet. Vide H. Stephan. de abusu linguae Graecae p. 32. Sic igitur noster minus recte *Caesara* dixit.

v. 25. *Non si recurrant* cet.] Imitatio Horatii IV. od. 2. v. 37.

Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Ergo querelas ponite lugubres,
Ergo repostum promite Caecubum:
Haec, haec dies, haec est choreis,
Haec rutilis decoranda flammis.

Caecubum repostum v. 30. habet ex eiusdem Epodon Oda IX. v. 1. et v. 35.

ODE II.

DE VERIS DISCESSU.

Iam ver praeteriit dulce, nec amplius
Parvi caedem Ityli carmine lugubri
Plorat Daulias ales,
Alta stans super arbore.
Iam solis radio Cancer inaestuat,
Iam fessus gelidas cum grege languido
Pastor quaeritat umbras,
Umbras, frigus amabile;

Et

v. 2. *Caedem Ityli — Plorat Daulias ales.*] Imitatur Catullum C. LXI.

Daulias absumti fata gemens Ityli.

ubi vide Is. Vossium, et notas ad Ovid. VI. Met. 658. Catulli loco etiam adhaeret Basil. Zanchius L. VI. Poëm. p. 152.

Daulias et densis residens Philomela sub umbris
Concinit, Ismarii fata gemens Ityli.

Saepe nomen *Ityli* a librariis fuit corruptum. Vide ad Lotich. p. 253. Burm. et ad Relandi Galat. Eleg. XIII. v. 77.

v. 8. *Frigus amabile.*] Horat. III. od. 13. v. 10.

Tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes, et pecori vago.

Et cuius radios ante cupiverat,
Vicino nimium plurima Cynthio
Nunc convicia fundit,
Aestus impatiens gravis.
Sic, sic praetereunt tempora, nec manet
Quidquam: sic fugiens cuncta rapit dies.
Sic coelo placet: haec sunt
Anni iura volubilis.
At quantum fuerat, quantum erat, obsecro,
Largiri miserae turbae hominum Deos
Solo vere suävi
Uti posse perenniter?
Sic certe Elysiis vivitur in locis,
Uno perpetuo vere ubi perfruens
Felix turba piorum
Non soles capiti graves,
Non dirae segetem grandinis et nivis,
Non horret Boream, nec rabidos Notos,
Nec tristes Aquilones,
Uno flante Favonio.

ODE III.

AD AEGIDIUM BUSLIDIUM, IUNIOREM.

Pars o meorum magna sodalium,
Quos vel dederunt tempora, vel dabunt;
Quando illa, illa dies erit,
Qua tecum socia urbe,
Amice, longos saepe teram dies?
Cernamque Musae delicias tuae,
Quae dictat tibi tinnulo
Suaves carmine voces?
Cernamque quas vel Parrhasius tulit,
Scopasve, quarum dives es artium,
Solers aut hominem, aut Deum
Sculpto ponere saxo?

Vi-

Ad Aegid. Buslidium.] Ad eundem scripta est Secundi epistola 1. Lib. II. Ex hac oda colligas, illum fuisse rei poëticae, sculptuariae et pictoriae artis studiosissimum. Ad *Nicolaum Buslidium* infra est Oda VII. Fuerunt ex illustri gente *Buslidiorum* (vulgo *Busleiden*) quos inter celebris prae ceteris fuit *Hieronymus Buslidius*, Senatus Belgici Macliniensis Consiliarius et fundator *Collegii Buslidiani* in Universitate Lovaniensi, *trilinguis* dicti. Vide Valerii Andreae Fastos Acad. Lovanien. p. 275. eiusdemque Bibl. Belg. p. 386. Nicol. Vernulaeum de Acad. Lovan. L. II. c. 10. et Hoynckii a Papendrecht notas ad Viglii Epist. CLXVI. Tom. II. Anal. Belg. P. I. p. 380. Burm. Add. Saxii Onom. III. p. 22. De Collegio Lovaniensi, quod suadente Erasmo ex opibus Hier. Buslidii institutum est, vide Beatum Rhenanum in dedicatione operum Erasmi Carolo V. Ad hunc Aegid. Buslidium exstat etiam Erasmi epistola, qua agitur de successore dando Campensi, qui docendi munus in dicto Collegio deposuerat.

v. 9. *Cer-*

Vitamque falsam rite coloribus
Praestare mixtis: et facili manu
Tabellae sine corpore
Tenues indere formas?
Sperare de te nam libet haec mihi:
Et iam leonem iudico ab unguibus.
I, quo te vocitat tua
Virtus, i pede fausto,
Vecturus olim Buslidium genus
Ad alta coeli sidera nobile,
Quod sublimia vertice
Iam nunc nubila tangit.
Nos interim, quando tua cernere
Sors ora coram non sinit invida,
Nobis effigiem tui
Mitti saepe rogamus.
Transfusa formis ut mihi pluribus
Perstet sodalis mnemosynon mei,
Et vel cernere sic queam
Dilectum mihi vultum.

Non

v. 9. *Cernamque quos vel Parrhasius* cet.] Ex Horatio haec expressa sunt IV. od. 8. v. 6.

Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum. Burm.

v. 14. *Praestare*] Refer ad *solers:* est enim h. l. *praebere*, *pingere*.

v. 30. *Perstet sodalis mnemosynon mei.*] Ex Catulli Epigr. XII.

Quod me non movet aestimatione,
Verum est μνημόσυνον mei sodalis. Burm.

Sol

Non est, quod illa paululum imagine
Carere nolis (quam manus insolens
Fecit nostra rudem nimis)
Praesertim reditura.
At est, quod illa nolit imagine
Carere Ianus, quae sibi melleum
Praesentabit amiculum,
Quocumque ille feratur.

Solebat nimirum Secundus amicorum effigies vel pingere, vel sculpere, vel e cera formare, ut sic absentes velut vivos sibi ante oculos reduceret, de qua re vid. inprimis Epist 7. Lib. I. Buslidii effigiem a se factam ad tempus repetit, ut similem sibi faciat.

ODE IV.

AD AMICUM.

Ante Phoebeo cariturus igne est
Orbis, et Lunae gelidos meatus
Nesciet, linquentque tenebricosum
Sidera coelum:
Cancer arctabit spatium diei,
Porriget longas Capricornus horas
Lucis, et noctis breviore meta
Tempora ducet:

Pup.

v. 1. ss. *Ante Phoebeo* cet.] Noti sunt Virgilii versus Eclog. I. v. 60.
Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararin Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
Plura dedimus ad Relandi Galat. El. IV. v. 39.

Puppis ignotas teret unca terras,
Plaustra volventer liquidas per undas;
Piscis in silvis, aper in profundo
Pabula carpent:
Quam tui possim posuisse curam;
Sive, quod sum nunc, ero, sive manes
Inter obscuris habitabo regnis
Pallida forma.

v. 13. *Quam tui possim posuisse curam*] Ovid. IV. Trist. 7. v. 10.
——— *Quam te, carissime, credam*
Mutatum curam deposuisse mei. Burm.
v. 14. *Sive, quod sum nunc, ero* cet.] Vide ad Lib. III. el. 18.
v. ult.

ODE V.

AD HADRIANUM GOESIUM, ICTUM, UXOREM DUCTURUM.

Ergo, dulcis amicule,
Nobis tam cito te subtrahis, et vagis
Finem ponis amoribus?
Et te sponte tua brachia mollibus
Subdens libera vinculis
Captivis hominum coetibus inseris?
Sortem servitii gravem, et
Passurus dominae sceptra puellulae:
Visurus tandem interim
Natos, legitimae praemia Cypridis,

Ad Hadr. Goesium.] De eo nihil mihi innotuit.

Natos, certa levamina
  Curarum, et socii pignora lectuli;
Quos qui tollere negligit,
  Dans infrugiferis semina vepribus,
Ignavus moritur senex,
  Indignusque cui contigerit parens.
Ergo, spernere si potes
  Curas, moestitias, vincula, carcerem,
Dum castus tibi sit torus,
  Et gignat aliquid, quod tibi succinat
Nomen dulce parentibus;
  Aula quodque tua lusitet, et patris

Ob-

v. 10. *Natos, legitimae praemia Cypridis.*] Lotich. L. II. el. 3. v. 67.

Quaeque iuventutis sunt praemia puriter actae,
Ante tuos videas pignora cara pedes. Burm.

v. 11. *Natos, certa levamina Curarum*] Latius haec persequitur Silvar. Carm. VI. extr.

Et brevi date liberosque dulces,
Et longo ordine blandulos nepotes,
Quae vobis senii minuta turba
Olim sollicitos levabit annos cet.

v. 22. *Aula quodque tua lusitet* cet.] Respicit illud Virgilii Aen. IV. v. 328.

——— *Si quis mihi parvulus aula*
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret. Burm.

Catullus Epithal. Iuliae et Manlii v. 221. de infante nascituro:

Sit suo similis patri
Mallio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore,

quod

Digitized by Google

Observantibus atria
Monstret ora sui certa clientibus:
I, quo te impetus impotens,
I, quo magnus Hymen te vocat, et potens
Dextra teligera Puer.
At nos interea, quando relinquimur
Abs te, cum reliquis tamen,
Quos non ista tenent iura, sodalibus,
Donec canities abest,
Carpamus Veneris gaudia liberae.

quod imitatus est Martial. L. VI. ep. 27.

Est, tibi, quae patris signetur imagine vultus,
Testis maternae nata pudicitiae.

ODE VI.

CAROLO V. IMP. IN BELGICAM REDUCI.

O qui potenti, Carole, dextera,
Quod Turca dudum barbarus invidet,
Magni quod invidere reges,
Sceptra tenes potioris orbis!

Quis

Carolo V. in Belgiam reduci.] Gallicus editor Loraltius, qui praeter Basia et Librum primum Elegiarum etiam has odas vertit, in observatione ad h. l. notat sibi visum esse itinerarium ineditum, e quo patet Caroli iter hoc in Belgium locum habuisse statim post nobilitatum illud concilium Augustae Vindelicorum, eumque d. 24. Martii a. 1531. solemni pompa Gandavum urbem intrasse. Secundus hac oda ante oculos habuit et magnam partem imitatus est Odam Horatianam Lib. IV. quintam, qua Augusti laudes celebrantur. Sequentia hic adscribemus:

Quis te Deorum, maxime Caesarum,
His post tot annos reddidit urbibus?
Coeloque natali, sacrisque,
Quae puerum tenuere, cunis?
Iam iam sepultae fletibus, et nigro
Luctu, serena est reddita patriae
Vultu tuo lux, et videntur
Ire dies meliore sole.

In-

Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit, populo gratior it dies,
Et soles melius nitent.
Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore dimovet:
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.
Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae;
Culpari metuit Fides.

v. 8. *Quae puerum tenuere, cunis.*] Urbs Gandavensis enim Carolo erat natalis.

v. 11. *Videntur Ire dies meliore sole.*] Usitata poëtis imagine, quam dilatavit Apollonius Florens, poëta melioris notae, qui in carmine de Alexandro VII. P. M. renunciato sic canit:

Regnat Alexander: subito viden' imbribus actis
Purpureo ut ridet pacatum lumine coelum?
Ut nitidi redeunt post tristia tempora soles,
Et mites Zephyrorum animae? circum, adspice, tellus
Ut propere varios submisit laeta colores?

Quam

Inplumis ut cum turba relinquitur,
Deserta nido, mater ubi est procul,
Escamque natis fida quaerit,
Longius et solito moratur.
Exspectat usque, et usque querens, querens,
Intenta servans lumina perpetim
Circumiacentes aut in agros,
Aut latera in spatiosa silvae:
Desideratum sic nimium diu
Suum vocavit Belgica Caesarem;
Hunc illa votis, hunc poposcit
Thure deos, precibusque sanctis.

His

Quam dulci aëriae volucres clangore per auras
Venturo iudicant hilares nova gaudia seclo!
Adspice, compositis inmotum ut fluctibus aequor
Post foedas nunc primum hiemes, ventosque resedit!

Vid. VII. Ill. Poët. edit. Plantin. 1662. p. 3. Etiam Gunterus in Ligurino Lib. V. v. 221.

Sic iam post tenebras, et saevi tristia belli
Nubila, Teutonici sedato turbine regni,
Principis adventus, veluti nova solis imago,
Coeperat optatae radios effundere pacis.

Vide quoque nostri Epigramma 21. Lib. I.

v. 13. *Inplumis ut cum turba relinquitur.*] Uti Horatius comparationem patriae et Augusti instituit cum matre, quae filium peregre profectum anxie exspectat, sic noster patriam populumque nido, Carolum matri comparans nescio quam suavitatem carmini suo conciliat. Similiter avi pullis escam afferenti se ipse comparat Achilles apud Homerum Il. IX. v. 323.

Ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσι
Μάστακ' ἐπείκε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ·
Ὡς καὶ ἐγὼ πολλὰς μὲν ἀΰπνους νύκτας ἴαυον.

Hic ille namque est, numine cuius, et
Pacata tuti per maris aequora
Nautae feruntur, datque terris
Semina fertilibus colonus
Securus, et iam non timet, usibus
Ne seminarit militis impii:
Per quem per agros tutus it bos;
Picta pecus terit arva tutum.
Hic Caesar ille est, qui regionibus
Exterminabit omne nefas suis;
Atque exsules terra Sorores
Sideribus revocabit altis.

ODE VII.

AD NICOLAUM BUSLIDIUM.

Thrax movit olim carmine tigrides,
Silvasque vates traxit, et impetum
Pronae reverti iussit undae,
Vocis ad arbitrium canorae;

Idem-

Ad Nic. Buslidium] De gente Buslidia dictum supra ad Od. III. Hic Nic. Buslidius ab artis musicae peritia laudatur etiam ab Hadr. Mario Poëm. p. 58.

Quinque potens aequare una testudine voces,
Nec nato inferior Calliopea tuo;
Buslidius sueta haec diversa carmina voce
Ante cani, aptavit multisonis fidibus,
Quam bene sex illi digitos natura dedisset,
Sex vocum poterat exhibuisse vices.

Idemque regem carmine lugubri,
Cui regna nullis cognita solibus
Cessere, pallentesque turbae,
Perculit in sua vota mitem.
Regina chordis victa potentibus
Tepente lavit lumina gurgite:
Crudelium malae Sororum
Insolito maduere fletu.
Consensit unis regia vocibus,
Blandi maritam praemia carminis
Ut per vias nulli remensas
Tristibus eripiat tenebris.
Sed dona divis irrita legibus
Fallax tyrannus fecit, et, o nefas!
Fatalibus respectam ocellis
Retulit in loca fusca praedam.
Tunc ille longum munere subdoli
Frustratus Orci per Tanai nives,
Heu, perque Ripheas pruinas
Ingemuit gelidis sub antris.
At tu, nigrantis si prece Tartari
Pro mollicella sollicites hera
Illacrymabilem cohortem,
Mobilibus digitisque pulses

Blan-

v. 10. *Tepente lavit lumina gurgite.*] Haec de lacrymis adhibita locutio ne a mitissimo quidem indice defendi potest. Ceterum cum toto hoc loco confer principium eleg. 1. Lib. III.

v. 11. *Malae*] Francius, forsitan e MS., adscripserat *genae*, quod cum metro repugnet, et imprudenti poëtae excidisset, postea mutatum fuit.

Blandas fides testudinis aureae:
Non strictus ullis conditionibus,
Victor beatus ad supernas
Cum domina reveharis auras.

ODE VIII.

DE AMORIBUS FRANCISCI CATSII.

Francisci teneris digna caloribus
Isabella, meae proxima Iuliae,
Quocumque orbe moraris,
Fido in pectore stas tamen;
E quo nec rapiet te rota temporum,
Nec diversa tuis tot loca moenibus.
Heu, quantum tamen hinc est
Inter Lovanium soli?
Haerent luminibus lumina mollia,
Arguta, et tacitis subdola nutibus,
Haerent atque revinctum,
Quem cepere semel, tenent.
Haerent auriculis verba sonantia,
Quae possunt superos flectere, quae deum
Qui servat loca tetra,
Nulli pervia lumini:

De amoribus Franc. Catsii.] Titulum hunc revocavimus ex edit. Ultrai. In Scriverianis appellatur tantum *Franciscus sodalis*. *Carolum Catsium* Secundi amicum aliunde novimus: num huius frater Franciscus fuerit affirmare non ausim.

Ad quae cum tenuem efflatus in aëra
Francisci gelidus spiritus iverit,
Una voce suävi
Dilectae dominae suae,
Quam terrae tumulis obrutus audiet,
Quam tota excipiet regia nigricans,
Uno murmure dulci
In vitam revocabitur.
O felix facibus forma potentibus!
Fas florere meis te quoque versibus,
Dum fletus puer ales,
Et suspiria nesciet.

v. 27. *Dum fletus puer ales* cet.] Sic et infra L. I. epist. 7. v. 48.
Donec Amor gemitus nesciet et lacrymas.
Praecessit Ovidius I. Am. 15. v. 27.
Donec erunt ignes arcusque, Cupidinis arma;
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

ODE IX.

AD PETRUM BAUSANUM.

Quisquis serena mente potest suos
Inter sodales vivere leniter,
Qui mente coniunguntur una,
Et studiis rapiuntur isdem;

Il-

Ad Petrum Bausanum] Ad hunc exstant Viglii Epistolae XCI. XCIV. et C. in T. II. Analect. Belg. Hoynckii a Papendrecht P. I. p. 231, 237, et 248. Burm. Neque tamen aliquid inde profigimus, quo, quis fuerit ille Bausanus, videamus. Finis carminis ine

Illum beatis respicit ignibus
Distincta coeli regia mobilis;
Et sortis expertem malignae
Collocat in medio Deorum.
Non livor illum pallidus occupat,
Non cura firmum versat et huc et huc,
Nec sperat usque laetiorem,
Sidere sub meliore, vitam.
Seu vivat illic, qua freta perpetim
Adstricta canis stant Aquilonibus,
Seu qua nigros usti propinquo
Sole trahunt populi colores.
Sic, Petre, Musas inter amabiles,
Interque iunctas brachia Gratias,
Risus, iocos, lusus, amores,
Exsilium patriae feramus.

indicare videtur, eum in Hispania commoratum fuisse, nisi referenda haec sint ad illud tempus, quo in Gallia iurisprudentiae operam dabat Secundus. Ad ipsum carmen quod attinet, adumbratum illud esse ex oda Horatiana 22. Lib. I. vix est, quod moneam.

v. 4. *Isdem.*] Francius e MS. adscripsit *aequis.*

ODE

ODE X.

AD AMOREM.

Ergone vitae quod superest meae
Suspiriosis liber amoribus
Degam? nec in venis calebit
Ille meis Deus, ut solebat?
Iam iam remissi poenitet otii,
Iam iam proterva spicula dextera
In pectus hoc, inerme pectus,
Sparge, Puer, resonante nervo.
Vivamque rixas inter et oscula,
Interque risus et lacrymas graves,
Spemque et metum, vitam necemque,
Tempora floridulae iuventae.

Ad amorem] Haud dissimilis argumenti est elegia 9. Ovidii Amor. Lib. II. Conferatur etiam Nostri eleg. 11. Lib. I. init. Fortasse hanc Odam respicit Lib. II. el 8. v. 27.

Optabam, memini, cum nuper amore vacarem,
Vester in hanc animam ne foret ignis iners.

ODE XI.

IN CHOREAS AB SE SPECTATAS.

Curru Diones vectus eburneo
Vidi modo hic, iam nescio quo loco,
Calente cursitare mixtas
Cum iuvenum serie puellas.

Una inter omnes florida virgines,
Terram tenello sollicitans pede,
Versabat in gyrum sequaces
Secum oculos animosque turbae.
Ut rubra puro lacte natans rosa,
Serpebat albas purpura per genas;
Frons crine flavo fulgurabat,
Fulvo ut ebur variatur auro.
Sic illa, membris laeta volantibus,
Producta cari nunc iuvenis manu
Circumibat, intactamque sensim
Nabat humum trepidante planta.
Nunc sola, gratis libera nexibus,
Errabat huc vibrans oculos et huc,
Lusuque mobilis protervo
Huncque petebat, et hunc et illum.

Bea-

v. 9. *Ut rubra puro lacte natans rosa.*] Ex Propertio II. 2. v. 21.

Ut Maeotica nix minio si certet Ibero,
Utque rosae puro lacte natant folia.

Vide ad Lib. II. el. 7. v. 8. Burm. Conferri quoque merentur, quae de genis rosae et lilio adsimilatis habet I. Tollius Anim. Crit. ad Longin. p. 352. Similes flores e poëtis Belgicis collegit vir doctus *in Tael en Dichtkundige Bijdragen* T. II. p. 532. ss.

v. 16. *Nabat humum trepidante planta.*] Sic Bas. IX. v. 16.

Curre procul natitante planta.

Ultima huius odae fortasse non aeque omnibus probantur. Non, quod non saepius rerum inanimatarum locum et sortem simili in casu sibi exoptent amantes, sed quod hanc imaginem nimis urgeat poeta.

Beata, dixi, terra! vel hos pedes
Tu bruta senti, vel mihi fac locum,
Seque illa per pectusque nostrum,
Per faciemque, oculosque volvat.

ODA XII.

AD DEUM OPT. MAX. CUM TUMULTUARENTUR ANABAPTISTAE A. CIƆIƆXXXIV.

Conditor terrae undivagique ponti,
Aetherisque alti, tibi magnus aether
Concinit laudes, tibi vasta tellus,
Et maris undae.

Quip-

Cum tumultuarentur Anabaptistae.] Scripta est haec oda circa a. 1534. in furorem illum, quo in regione praescrtim Monasteriensi et Westphaliensi tunc grassati sunt Anabaptistae, qua de re librum scripsit Lambertus Hortensius, editum Basileae typis Oporinianis a. 1548. 4°. Vide porro Camerarium in vita Melanchth. p. 44. Vigl. Zuichemium Epist. LXI. a. 1535. scripta, quae legitur in Hoynckii Anal. T. II. P. I. p. 178. Pontum Heuterum Lib. X. Rer. Austriac. c. 10. et Lib. XI. c. 2. et 3. Petitum in Chronico Gallico Holl. et Zeland. T. I. Lib. VII. p. 88. Goudhoevium in Chronico p. 593. Auctorem Chronici Flandr. T. IV. p. 199. et alios numero non paucos. Burm. In tota autem hac oda, quae me quidem iudice omnium optima est, et omnes hymni numeros implet, quis non agnoscit imitationem Psalmorum? quorum quidem diversa loca, quae expressisse videri poëta potest, non adscribemus, sed adscribemus partem Psalmi CIV. a Buchanano redditam, quoniam illam inprimis ob oculos habuisse mihi Secundus videbatur. Mundi orti facta mentione sic pergit poëta:

 Tum

Quippe cum verno redeunte sole
Induit frondes nemus et Favoni
Suscitat flores genitalis aura
Suaveolentes,
Cuncta te inmensum dominum fatentur,
Sive frondosis aqua septa ripis
Limpidi fontis referat figuram,
Sive lapillis
Pugnet insultans tenui susurro,
Sive per silvas Zephyrus sonoras
Concitat frondes, volucresve cantu
Aethera mulcent:
Sive oves centum et totidem capellae
Roscidam pascant niveae per herbam,
Frigerans qua fons scatet, et propinquos
Irrigat hortos.
Quid maris dicam varios recessus?
Et quid accessus? pelagique monstra?
Quid globum lunae varium? aureique
Lumina Phoebi?

Tot-

Tum liquidi fontes imis de collibus augent
Flumina, per virides undas volventia campos,
Unde sitim sedent pecudes, quae pinguia tondent
Pascua, quaeque feris onager saxa invia silvis
Incolit: hic, levibus quae tranant aëra pennis,
Per virides passim ramos, sua tecta, volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca sola querelis.
Tu, Pater, aërios montes, camposque iacentes
Nectare coelesti saturas, fecundaque rerum
Semina vitales in luminis elicis oras;
Unde pecus carpat viridis nova pabula foeni;

Un:

Totque diversorum animantium ora?
Totque diversas hominum figuras?
Tot salutares frutices et herbas?
Totque nocentes?
Arborum et foetus varios colore?
Nec minus dulci varios sapore?
Quaeque in aprico trahit uva suavem
Colle ruborem;
Unde iucundus liquor ille Bacchi
Manat adflictis animis levamen,
Vinciens aegrorum hominum suävi
Pectora vinclo?
Te Deum, cunctorum operum parentem,
Cuncta consensu tacito salutant,
Magne sol, pulcrique anima alma mundi:
Te veneratur
Arctos, aeterna glacie stupescens;
Imbribusque et fulmine foetus Auster;
Quaeque surgentem videt ora solem,
Quaeque cadentem.

Huc

Unde olus humanos geniale adsurgat in usus;
Quaeque novent fessas cerealia munera vires;
Quaeque hilarent mentes iucundi pocula vini;
Quique hilaret vultus succus viridantis olivi. cet.
Tu lunae incertos vultus per tempora certa
Circumagis: puroque accensum lumine solem
Ducis ad occiduas constanti tramite metas.

Et tandem in fine:

At vero impietas plane exstirpetur ab ima
Radice, et scelerum stirps nulla repullulet, ac nos
Te rerum, Deus alme, patrem, dominumque canemus.

An-

Huc ades, Rex o hominum et deorum,
Si tuas sancte celebramus aras,
Et tibi gratos humili Camena
Dicimus hymnos.
Bellaque et sectas hominum nefandas,
Et mali quidquid vitiis meremur,
Pelle de nostris laribus focisque;
Praecipue illos,
Qui, novae sub religionis umbra,
Caede grassantur, populantur urbes,
Et tuae genti excidium minantur,
Dira frementes.
Frange conatus populi furentis;
Publicorum ausus cohibe latronum,
Et tuam nobis placidam misertus
Redde quietem.

Ante oculos quoque hunc hymnum habuit Hier. Vida Christiad. L. VI. v. 746. ss. Operae pretium etiam fuerit conferre cum his Psalm. XIX.

ODARUM FINIS.

10.

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

AD EVERARDUM NICOLAIUM, FRATREM.

Ite salutatum sine me, mea carmina, fratrem:
Cur mihi nunc versus non datur esse meos?
Ite

EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.] Sequuntur duo Epistolarum libri, alter elegiaco carmine, alter heroico perscriptus. Mihi quidem hae Epistolae videntur commendari dotibus vere poëticis, elegantia, suavitate, modulatione, et, quod maius etiam est, indole poëtae candidissima, et erga amicos haud fucatae affectionis. Fuerunt, qui desiderarent in his epistolis acumen Horatianum: quasi vero vis satyrica omnium epistolarum dos sit primaria, ac non potius comparatio hic sit instituenda cum epistolis Ovidii ex Ponto, quae cum argumento, tum forma multa profecto habent, quibus cum his nostris possint conferri.

1. *Ad Everard. Nicolaium.*] De hoc Secundi fratre, Curiae Frisiacae Praeside, vide Dissert. nostram de gente Secundi p. LX. ss.

Ite leves elegi, nec vos ivisse pigebit:
Ite citi; doctam iam dabit ille manum.
Moxque resignatos placida vos audiet aure,
Narrantes animi nuncia certa mei.
Haec igitur nostro referetis nomine fratri.
O ego quam vobis demtum onus hoc cupiam!
Me retinet salsis infausta Valachria terris,
Oceanus tumidis quam vagus ambit aquis.
Nul-

v. 1. *Ite salutatum* cet.] Tale initium habet etiam Ovidius principio Tristium:

Parve, nec invideo, sine me, Liber, ibis in urbem.
Hei mihi! quod domino non licet ire tuo.

et v. 57.

I tamen, i pro me: tu, cui licet, adspice Romam.
Di facerent, possem nunc meus esse liber.

De eiusmodi adlocutionibus ad libros vide Burm. ad Lotich. II. el. 15. init. et latius in Addend. p. 682. Alibi idem Ovidius de donis amicae missis Amor. II. 15. v. 8.

Invideo donis iam miser ipse meis.

v. 10. *Vagus.*] Vide supra ad Od. I. v. 16. Quae hic de male sano Zelandiae aëre habet noster, ea fere conveniunt cum aliorum testimoniis eiusdem aetatis. Sic Smallegangius in Chronico p. 312. meminit Iasonis Pratensis, medici celebris, qui popularibus suis adversus aëris pestiferam temperiem suaserit, ut domus suas ustis odoribus replerent. Et in eodem Chronico dictum memoratur Angli cuiusdam, qui cum anno 1517. Zelandiam visitasset: *aër*, inquit, *putidus est, et insalubris, imo pestiferus; aqua nigra, et parum aberat, quin Stygа et Acherontem in his oris Zelandicis quaesivissem.* Secundi etiam pater Nicolaus Everardi scribit in Consilio 132. vix fieri posse, ut quis in Zelandia, ubi aëris iniuria ipsum etiam ferrum pereat, ad centesimum vigesimum secundum aetatis annum progrediatur: nam e numero milliario vix unum per multa morborum incommoda annum quinquagesimum attingere. Haec autem vulgaris opinio tantis testimoniis confirmata
cum

Nulla ubi vox avium, pelagi strepit undique murmur,
Coelum etiam larga desuper urget aqua.
Flat Boreas, dubiusque Notus, flat frigidus Eurus;
Felices Zephyri nil ubi iuris habent.
Proque tuis ubi carminibus, philomela canora,
Turpis in obscoena rana coaxat aqua.
Si quaeret, quid agam (namque hoc quaeret scio): quod non
Sum simul, hoc doleo: cetera laetus ago.

Quod-

cum negari non posset, nec tamen illam concoquerent multi, hanc inierunt viam, ut lapsu temporis hanc aëris temperiem mutatam dicerent, sive factum hoc agricultura, sive alia quacumque ratione. Vide in primis epistolam viri spectatissimi L. P. van de Spiegel, Belgice scriptam a. 1775. et nuperrime editam in Opere literario *Algemeene Kunst en Letterbode* T. II. p. 130, anni 1817. — Ad h. l. Secundi quod attinet, patet inde eum aliquando in Zelandia commoratum fuisse; quod quando factum sit, dicere non possum. Cum tamen v. 19. patris adhuc viventis mentionem faciat, hinc colligitur, epistolam hanc scriptam fuisse a poëta admodum iuvene, antequam in Galliam ad audiendum Alciatum profectus sit.

v. 16. *Turpis in obscoena rana coaxat aqua.*] Auctor carminis de variis animalium vocibus in Anthol. Lat. L. V. epig. 142. v. 58.

Garrula limosis rana coaxat aquis.

Quamvis autem verbum coaxare antiquius testimonium non habeat, quam Suetonium Aug. c. 94. se ipsum tamen sono satis defendit, quem etiam Aristophanes expressit in Ranis v. 219.

Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ.

v. 18. *Quod non Sum simul.*] *Simul esse* pro *esse cum aliquo* dixit etiam Cicero ad Att. V. 10. *Totos dies simul eramus invicem.*

v. 21.

Quodque magis placeat, pater illi salvus, et omnis
Turba valet, morbos nec timet illa graves.
Mitior et nobis haec terra futura videtur,
Nempe semel nostris exsaturata malis.
Quod reliquum, Icarias dices meditarier alas,
Quis possim liquidas rite secare vias,
Et subito optatas, novus ales cernere sedes,
Oraque germani cernere cara mei.
Talia nunc meditor, modo quis mihi Daedalus adsit,
Qui pennas humeris applicet arte meis.
Non ego ventosis peterem sublimia plumis,
Vectus ad igniferi fervida regna Dei:
Nec Zelandiaco facerem nova nomina ponto,
Sed sequerer monitus, Daedale magne, tuos.

In-

v. 22. *Nempe semel nostris exsaturata malis.*] Fuerat igitur et ipse morbo conflictatus.

v. 27. *Modo quis mihi Daedalus adsit.*] Imitatio Ovidii Heroid. Epist. XVIII. v. 47.

Nunc daret audaces utinam mihi Daedalus alas;
Icarium quamvis hic prope litus adest.

Broukhusius Carm. Iuvenil. p. 432.

Quod si Daedaleo possem, mea vita, volatu
Ire super terras, ire super maria;
Corporis exutus vinclis, iam protinus arces
Continuo cursu deferar Amstelias.

Nostri locum ob oculos habuit Relandus Galat. Eleg. XI. v. 41.

Applicet artifices utinam mihi Daedalus alas,
Quae moveant humeros sustineantque meos.
Nulla Caledonio parerem nova nomina ponto,
Nec facerem, coeli qua calet ora, viam.

Confer Burm. ad Lotich. I, el. 5. v. 49.

Inter utrumque volans peterem Maclinia recta
  Moenia, et hic notas sisterer ante fores.
Quod si non dabitur, naturaque dura repugnans
  Non patitur vetitas nos penetrare vias;
Attamen haud longo post illum tempore cernam,
  Advectus celeri per freta vasta rate.

v. 34. *Notas ante fores.*] Paternas puta. Vide dictam Dissert. nostram p. V.

EPISTOLA II.

AD EUNDEM.

Musa ades huc, Frisias procul hinc, procul ibis ad urbes,
  Per silvas, urbes, per mare, per fluvios.
Nec te longinquas pigeat volitare per oras,
  Est ubi barbarico proxima terra solo;
Ter-

v. 1. *Musa ades huc.*] Haec Epistola cum superiore eiusdem fere argumenti est. Cum utraque comparandae sunt Ovidii elegia 7. Lib. III. Trist. et ex Ponto Lib. IV epistola 5. ad S. Pompeium; e quibus multa feliciter adumbravit Secundus, adumbravit etiam Lotichius II. el. 5. Vide Burm. in notis ad huius elegiam, praesertim in Addend. p. 682. ubi loca ex Ovidio expressa accurate indicavit, quae hic repetere necesse non iudicabam.

v. 4. *Est ubi barbarico proxima terra solo.*] Quae hic sequuntur de Frisia, regionibusque adiacentibus ad humanitatis artes parum adhuc excultis, licet paulo fortasse aucta, eiusmodi tamen sunt, ut fides iis sit habenda; quippe scripta ad virum, qui cum ipse honorifico munere apud Frisios fungeretur, talia in populares suos dici haud passus fuisset, si quid habuisset, quod contra diceret.

Terra procul gelido septem subiecta trioni,
Terra procellosis frigida quassa vadis.
Nec refugi mores faciant aut grandia verba,
Quo minus incepta progrediare via;
Certa sacros vates terris habitare profanis,
Numina Musarum qui veneranda colant,
Certa tuas illuc quoque commigrasse Sorores,
Deserta vitrea pridem Heliconis aqua,
Ex quo Germanos vates celeberrimus inter
Rudolphus Frisii lausque decusque soli,
Dulcia contentis modulatus carmina nervis,
Traxit Apollineas in sua vota Deas.
Cui modo successit terra nutritus eadem
Hermannus, studii factus ad omne genus,
Hompius, Ausoniis rediens qui nuper ab oris,
Doctas Romanae retulit urbis opes,
Non minor hic vestrae fuerit mox gloria turbae,
Gloria erit patrio nec minor ille solo.
Quid petis ulterius? cuius modo limina vises,
Aonias adamat frater et ipse Deas:

Et

v. 14. *Rudolphus Frisii lausque decusque soli.*] *Rudolphum Agricolam*, virum ea aetate celeberrimum intelligit, cuius insigne encomium lege apud Erasmum in Chiliad. Adag. p. 172 et 173. quod tamen nimio patriae communis studio adscribit Guicciardin. in Descript. Belg. p. 288. ed. Ital. in fol. Vide et Ludov. Vivem in notis ad Augustini de Civit. Dei Lib. II. c. 21. p. 231. Burm.

v. 18 et 19. *Hermannus Hompius.*] Huius ne nomen quidem audivisse me memini: neque etiam Burmannus, rei literariae peritissimus, praeter distinctionis notam, aliquid adscripserat.

Et poterat viridi sacra cingere tempora lauro;
Natus ad Orpheae garrula fila lyrae:
Maluit at tetricae studiis vigilare Minervae,
Et colere Astreae numina coelipetae;
Et iactare foro strepitantia verba diserto;
Nunc etiam populo reddere iura truci.
Nec tamen ergo minus Musas veneratur, amatque;
Hae requies fessi pectoris una manent;
His sese oblectat cum magna negotia liquit,
Atque a dicundo iure subinde vacat.
Ergo age, carpe viam, donec Leovardia cernes
Cominus informi moenia structa modo.
Hic cursus, hic meta tui est, hanc incolit urbem
Pars animi maior, pars meliorque mei,
Germanus, nullis animo delebilis annis,
Sive ego quod nunc sum, sive ego pulvis ero;
Huius ad optatas postquam perveneris aedes,
Ostendes Iani nomina nota sui.
Quae simul ac cernet, dilecti symbola fratris,
Ibit in amplexus protinus ille tuos.
Mox, quid agam, quid mater agat, genitorque, rogabit,
Quid fratres, quid agat denique tota domus.

Vi-

v. 35. *Cominus informi moenia structa modo.*] Colligi hinc posse mihi videtur, Leovardiam a Iano nostro visam fuisse: quis enim haec non ad veritatem dicta esse statuat? Nostra tamen aetate multa sunt in melius mutata: imo si qua alia urbs, Leovardia aedium splendore reliquis urbibus superbum caput effert.

v. 45. *Mox, quid agam,* cet.] Ovidius Trist. d. l. v. 6.

Nec

Vivere quos salvos dices, eademque precari
  Aeternum domui vel meliora suae.
Mox ubi cognoris, valeat quid et ipse, quid uxor,
  Quid dulces nati, turba minuta, gerant,
Ante precata viro, qui nunc novus annus inivit,
  Illi ut felici sidere totus eat,
Longinquum revocabis iter, quaque iveris, illac
  Ad nos seu terra, seu remeabis aqua.

Nec mora, quid venias, quidve, requiret, agam.
Vivere me dices.
ut ex Ponto v. 27.
Cum tamen a turba rerum requiverit harum,
Ad vos mansuetas porriget ille manus:
Quidve parens ego vester agam, fortasse requiret.
Talia vos illi reddere verba velim.

v. 50. *Turba minuta.*] Sic et liberos vocat Silv. C. V. v. 140. exemplo Propertii II. 22. v. 3. item Muretus Iuvenil. Eleg. 7. *Parvos* appellarunt Lucanus, Statius et Prudentius. De lectione apud Ovid. Fast. II. 385. diversae sunt doctorum sententiae.

EPISTOLA III.

AD EUNDEM.

Salveto quantumque cupis, quantumque mereris,
  Et domui veniant omnia laeta tuae.
Accepisse reor (nam iam tibi misimus olim)
  Sculpta per insuetas plumbea dona manus,
Quae

v. 4. *Plumbea dona.*] E plumbo facta fuisse videntur et alia Secundi numismata, unde de transfusis formis non uno in loco legimus, v. c. Od. III. v. 29. Atque haec etiam caussa fuisse vi-

Quae referunt patrios parva sub imagine vultus,
Cernere quos vobis dulce, putamus, erit.
Scilicet est aliquid vel sic dilecta tueri,
Invida quae nobis sors rapit ora procul.
Sic ego te cupiam, sic coniugis ora videre;
Quantula de vobis pars tamen illa foret!
Sed meliora feret volvendum tempus et hora,
Qua dabitur toto mox mihi fratre frui;
Quae notas audire dabit, quae reddere voces.
Interea celeres currite solis equi.
Tunc mihi narrabis (dulce est meminisse laborum)
Tristia pene oculis Tartara visa tuis,

Ri-

videtur, quod haec eius opera aetatem non tulerunt. In aere tamen sculpta erat effigies Caroli imperatoris; de qua vide ad Lib. III. el. 2.

v. 15. *Tunc mihi narrabis* etc.] Confer haec et sequentia usque ad finem epistolae cum Lotichio L. I. eleg. 2. in fine et eleg. 10. v. 85. ss. Burm. Saepius apud poëtas mentionem factam videmus voluptatis, quam quis capiat e narratione malorum vel laborum praeteritorum, idque petitum est ex indole humana. Hinc Seneca Epist. 78. *Quod acerbum est*; inquit, *retulisse iucundum.* Hinc apud Aeschyl. in Prometh. v. 637.

Ὡς κἀποκλαῦσαι κἀποδύρασθαι τύχας
Ἐνταῦθ', ὅπη μέλλει τις οἴσεσθαι δάκρυ
Πρὸς τῶν κλυόντων, ἀξίαν τριβὴν ἔχει.

Praeterea sortem suam deflere et lamentari, quando quis lacrymas ab audientibus laturus sit, operae pretium est. Hinc Aeneas apud Virg. I. v. 103. socios suos adhortatur:

——— *Revocate animos, moestumque timorem*
Mittite; forsan et haec olim meminisse iuvabit.

Loca poëtarum, quibus reduces a militia vel longo itinere labores suos et pericula coniugibus vel amicis narrare dicuntur, videatis apud Burm. in notis ad illud Lotichii Lib. V. el. 13. v. 21.

Rimosamque ratem, nautam, manesque vetustos,
Tantalon et vivax cui iecur ales edit;
Et qui volvit adhuc semper revolubile pondus,
Et quibus aeternis colla premuntur aquis:
Tunc, cum sudoris ignoti triste venenum
Urgeret vapido bis tua membra toro,
Furvaque coepisset, Stygio sacra dona marito,
Fatalem crinem vellere Persephone.
Multaque praeterea, quae differo tempus in illud,
Advehat alatis quod cito Phoebus equis.

Tunc mihi ventorum fremitus narrabis, et urbes,
Et miri tellus quidquid, et aequor habet.

Locis ab eo laudatis adde Catullum Carm. IX. ad Veranium:

Visam te incolumem, audiamque Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus.

Confer et Claudian. Laud. Seren. v. 217. ss.

v. 21. *Cum sudoris ignoti triste venenum.*] De hoc morbo vide ad Lib. I. epigr. 47.

v. 24. *Fatalem crinem vellere Persephone.*] Vide ad Lotich. Lib. I. p. 31. et in Addend. p. 666. Burm.

v. 26. *Advehat alatis quod cito Phoebus equis.*] Ovid. ex Ponto I. ep. 5. v. 57.

Memnonis hanc utinam, lenito Principe, mater
Quam primum roseo provocet ore diem!

quod imitatur Lotich. II. el. 15. v. 77.

Memnonis hanc primum mihi gaudia tanta ferentem
Rorifero mater provehat axe diem.

Similiter Broukh. in Iuvenil. p. 483.

Hanc agat a utinam coelo festivus ab alto
Lucifer, et puro proferat ore diem.

EPI-

EPISTOLA IV.

AD EUNDEM.

Ecce manum chartae calamumque admovimus udum:
Fratri aliquid vis nos scribere, Musa? iube.
Musa iube: cessas? titubas? haeresque? quid istud?
Usque adeo nihil est quod legat ille tibi?
Nos igitur chartis calamum removemus? et iste
Ibit in hoc scriptis non oneratus iter?
Non ita; sed potius chartam sic tradat inanem
Nuncius: hoc fratri non leve munus erit.
Triste nihil domui sciet accessisse paternae,
Meque satis memorem sentiet esse sui.
Artis huic aliquid nostrae si iungimus, et quod
Carmen in Augustum condidimus tumulum;
Nil

v. 4. *Usque adeo nihil est quod legat ille tibi.*] Simile quid, non tamen eodem animo scriptum, habes apud Ovid. IV. ex Pont. 12. v. 43.

Quid mandem, quaeras? peream, nisi dicere vix est,
Si modo, qui periit, ille perire potest.
Nec quid agam invenio, nec quid nolimve, velimve.

v. 7. *Chartam.*] *Schedam* in aliis, male. Recte correxit Scriver. Francius.

v. 11. *Artis huic.*] Notetur metri vitium in *huic*, quod numquam veteres sic per bisyllabum efferebant. Conf. dicta ad L. I. el. 7. v. 54.

Ibid. *Quod Carmen in Augustum condidimus tumulum.*] Respicit, puto, ad epitaphium Margarethae Austriae positum, quod legitur Funer. Carm. IV.

Nil petet ulterius, licet anno ineunte recenti
Larga dari soleant munera, larga capi.

EPISTOLA V.

AD ISABELLAM SOROREM, VIRGINEM SACRAM.

Salve, o feminei, soror, unica gloria sexus,
Inferior nullis Isabella viris.
Gaudia quanta mihi, quantum iniecere stuporem,
Depicta articulis verba Latina tuis!
Quam pia, quam lepida, et quam mellea, quamque venusta!
Quam docta et cunctis illa polita modis!
O quoties lecta illa mihi, quotiesque relecta,
Nec satiare oculos nec potuere animum.
Macte animo, similem nullam cui nostra tulerunt,
Forte dabant olim secula prisca pares.
Credo, aequare suum poterat quae carmine patrem,
Inclyta Nasonis filia talis erat.
Tullia talis erat, docto dilecta parenti;
Talis erat Gracchos quae tulit illa duos.
Sperare hac qualem licuisset ab arbore fructum,
Ni tam non apta consita staret humo!

Ad Isabellam sororem.] De hac nonnulla diximus in Dissert. de vita Secundi p. XXIV.

v. 16. *Ni tam non apta consita staret humo.*] Sic igitur iam tum optimus quisque de vita monastica statuebat.

EPISTOLA VI.

AD CAROLUM SUCQUETUM.

Carole, quo nullos duce et auspice ferre labores,
Nec renuam durae mortis inire vias.
Alpinas quocum libeat contemnere valles,
Quas nivis aeternae cana tegunt maria.
Cum quo vicino peragrem loca torrida sole,
Quaeque rigent longo non habitata gelu,
Qua deserta manent nullis freta nota carinis,
Terraque non ullo vomere secta iacet:
Provida ni timidi remorentur verba parentis,
Spernere quae pietas officiosa vetat;

Fal-

Ad Carol. Sucquetum.] De hoc Sucqueto, Flandro, Secundi amico, ad quem est etiam libri sequentis epistola quarta, quique Taurini in Gallia subalpina publice iura interpretandi munus obivit, vide plura ad Carm. XIV. Funer. Videtur haec epistola referenda esse ad primum tempus, cum Biturigibus iurisprudentiae operam daret noster: nam et ibi Sucquetus Alciatum audivit, et parentis adhuc vivi mentionem facit Secundus v. 9.

v. 1. *Duce et auspice.*] Horat. I. od. 7. v. 27.

Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro.

v. 1. ss. *Nullos — ferre labores* cet.] Totum huius elegiae initium bono artificio adumbratum est ex Propertio Lib. I. el. 6. cuius sex primi versus cum quatuor huius epistolae primis distichis sunt conferendi. Similibus coloribus hanc eandem amoris individui obtestationem plurimi alii poëtae pulcherrime depinxerunt. Vid. ad Lotich. II. el. 9. v. 73. quibus adde Claudian. Cons. Olybr. v. 131. et II. in Rufin. v. 240. Burm.

Falciferique senis grave rebus in omnibus astrum,
Et deus, et series omnis iniqua poli.
Tune igitur Latio felix versaberis orbe,
Inter honoratos artificesque viros?
Nos in barbaria virides socorditer annos
Perdere cogemur? non ita fata velint!
Quae satiata, reor, quod te fraudamur eunte,
Deponent odium, nec mora longa manet.
Ante dies multos vestigia cara sequemur,
Tempora fortunae cum melioris erunt.
Interea vivas, qua vivere sorte mereris,
O animo semper sedem habiture meo,
Agmina seu iubar hoc inter viventia cernam,
Regna Deae Siculae seu tenebrosa colam.

v. 21. *Qua vivere sorte mereris.*] Sic supra epist. 3. init. *Salveto quantumque cupis, quantumque mereris.*
v. 23. *Agmina seu iubar hoc* cet.] Supra epist. 2. v. 40. *Sive ego quod nunc sum, sive ego pulvis ero.* Plura vide ad Lib. III. eleg. 17. v. ult.

EPISTOLA VII.

AD IOANNEM DANTISCUM, PRAESULEM CULMENSEM, EUMDEMQUE POETAM.

Laus vatum, laus magna virûm, quos infula vestit,
Ore melos Getico qui Latiale sonas:
In

Ad Ioan. Dantiscum] De eo vide supra ad Lib. III. el. 4.
v. 1. *Laus magna virûm, quos infula vestit.*] Imitatus est Bronkhus. init. Poëm. ad Ferdinandum, Episcop. Paderborn.
Gras-

In quem curarum bona pars secura recumbit
Regis, Sarmatidum cui famulatur humus,
Hospite quo Scaldis sese miratur, et Istri
Gurgitibus tumidis iam putat ire parem.
Hocne meas artes etiam, Dantisce, manebat,
Ut traducendae te quoque teste forent?
Hei mihi, quid speras a caelatore poëta,
Et cui vix primo tempora vere tepent?
Istam aciem pascat, si quid restabit ab aevo,
Phidiacae quondam quo viguere manus.
Cum Venus ipsa, suae decus admirata figurae,
Dixit Praxiteli: visa ubi nuda fui?
Cum poterant duri lapides mollescere ferro,
Uvaque certantes picta vocabat aves,

Su-

Grande decus, Fernande, virûm, quos infula vestit. Burm. Noster de eodem Dantisco d. l. v. 3.

Cuius temporibus et laurus et infula certant,
Haec premat ut sacras, et premat illa comas.

Similiter Gunther. in Ligurino I. v. 186. de Francofurto:

Huc sacri, celebresque viri, quos laude serena
Infula vel gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt.

v. 4. *Regis, Sarmatidum cui famulatur humus.*] Sigismundi I. regis Poloniae.

v. 11. *Istam aciem pascat.*] i. e. longe meliora sunt, quae oculi tui intueantur. Vix tamen est, quod haec locutio probetur.

v. 14. *Visa ubi nuda fui?*] Vid. L. II. epigr. 9.

v. 15. *Mollescere ferro.*] Ita ut res e lapide fictae molles viderentur. De certamine Parrhasii et Zeuxidis, ad quod in his respicit poëta, satis omnia nota sunt e Plin. XXXV. 10.

Suspensosque animos sperata voce tenebat
Daedalus in tabula versicolore liquor.
Ausus ego tentare novas temerarius artes,
Vix infausta rego caela negante manu.
Felix plebeios si tantum pingere vultus
Dextera, et ulterius non foret ausa vehi.
Obscuris cum nominibus neglecta iaceret;
Non hominum variis subdita iudiciis,
Cum domini pallore sui male nobilis esset:
Sed quid ego haec autem? sera querela mea est.
E manibus nostris dudum vaga currit imago,
Quae pia Caesarei numinis ora tenet.
Nec satis est illud, cupit hanc Dantiscus habere,
Ille cui quidquam sit renuisse nefas.
Accipe, magne pater: tua iussa capessere fas est.
Tecum age, si laedet lumina forma rudis.
Mittimus in multas transfusum Caesara formas:
Sic te velle mihi dixerat ille tuus
Ledaeus vates, iuvenis dignissimus, in quem
Pars tibi diffusi multa favoris eat.

Qui

v. 18. *Daedalus — liquor.*] Colores artificiose mixti.

v. 26. *Sed quid ego haec autem?*] Ovid. Her. XIII. v. 135.
Sed quid ego haec revoco?

v. 34. *Caesara*] Vide Lib. III. el. 2. et de hoc accusativo Graeco dicta ad Od. I. v. 22.

v. 35. *Ledaeus vates*] Quemnam hic innuat poëta, ne coniectura quidem adsequi possum. *Ledum* a nonnullis appellatur Galliae fluvius *Le Lys*: *Ledi* Brabantiae oppidulum memorat etiam Valesius in Notit. Gall. Sed vel sic parum proficimus; quare non tanti mihi videbatur evolvendis libris tempus perdere.

Qui sic ore modos et acuta temperat aure,
Ut cygnum melius non potuisse rear
Illum, Ledaeis olim qui fusus in ulnis,
Velavit niveo corpore furta Iovis.
Mittimus et quaedam, quae te fortasse iuvabunt;
Inter quae dominae sit quoque forma meae:
Dilectae dominae, Venerem cui cedere Mavors
Noluit: hinc caeli non bene rexit iter.
Hic quoque flammivomis oculis formosa latebit
Vatis amatoris Iulia sculpta manu:
Iulia, quae nostris vivat celebrata Camenis,
Donec Amor gemitus nesciet et lacrymas.

v. 45. *Flammivomis oculis*] Recte scriptor anonymus in *Nieuwe Bijdragen tot de Nederl. Letterk.* T. I. p. 575. condemnat hoc epitheton, draconi magis, quam puellae congruum. Languet etiam in hoc versu particula *hic*, pro *apud te*.

v. 48. *Donec Amor gemitus nesciet et lacrymas.*] Vide ad Loitich. II. el. 9. v. 93.

Quod si pauca mihi dederit semel oscula, vivet,
Dum notum terris nomen amoris erit.

Burm. Vide et Odam VIII. extr.

EPISTOLA VIII.

AD ANSOVINUM MEDICEM, PERUSINUM, IURECONSULTUM.

Unde leves veniant tua sub sacraria Musae,
Ara ubi librantis stat veneranda Deae,
Quis-

Ad Ansovinum Medicem] Scripsit hanc epistolam Secundus, cum in rure Menetovico (de quo vide ad Epist. seq.) morare-

 tur,

Quisve verecundas, quaeris, petulantius ire
  Iusserit? herboso a rure tulere pedem.
Mittit Ioannes, quem si te nosse negabis,
  Ignotum scit te non tamen esse sibi
Tempore iam ex illo, cum te mirata docentem
  Haesit in adspectu concio magna tuo,
Adque tuas voces vocem tenuere tot ora,
  Nulla nisi laudes quod tacuere tuas:
Sed tibi certatim tacito applausere susurro,
  Pars ubi tum turbae parva stupentis eram;
Et tua (dicebam) veniant ad pulpita longe,
  Gallica quos, et quos terra Latina docet.
Legibus, Ansovine, potens et divite lingua
  Unus in Alciati sede decenter ades.
Tu desiderium tanti lenire magistri
  Visque potesque simul; sed quoque fata velint!
Fata recusarunt votis accedere nostris:
  Atra lues serpit per fora, perque vias.
Itur in exilium, stant auditoria clausa,
  Mutaque non possunt vel sua damna queri.

Haec

tur, quo secesserat evitandae pestis caussa, quae tum Avariei Biturigum saeviebat. De hoc *Ansovino Medice* nihil praeterea mihi innotuit: id tamen ex hac epistola colligo, eum Alciato aegrotanti in docendi munere adiunctum fuisse, verum paulo post, metu scilicet contagionis ingravescentis in patriam abiisse, docendi munus ibi in Academia Perusina suscepturum.

v. 17. *Desiderium tanti — magistri*] Ex febri scilicet Alciatus aegrotabat, ut patet infra ex v. 40. qua oecasione elegiam scripsit noster pro salute praeceptoris votivam, quae legitur Lib. III. el. 9. De contagione illa pestifera vide mox epist. seq.

Haec inter nobis spes fulserat optima nuper
Tecum communi vivere posse casa.
O niveam, quae tot vexisset commoda, lucem,
Felicem qui te seu tenuisset ager,
Sive niger lucus, iam tum sacer ille futurus,
Fons tibi seu vitreis ora rigasset aquis:
Murmure te tremulo rivi, te flatibus aura,
Teque per innumeras silva vocabat aves;
Aequabat propere distinctos uva colores,
Visa vocare tuas ad sua dona manus.
Ast alio te fata vocant, patriaeque suävis
Ardor, et Ausonidum te remoratur humus,
Quae tibi victrices nutrit laetissima lauros,
Implicitura tuae debita serta comae.
Nos quoque quo fortuna vocet dubitamus, et hosce
Forte brevi dulces destituemus agros.
Atque utinam cessent dirae contagia pestis,
Linquat et Alciati febris iniqua caput;
At-

v. 25. *O niveam, quae tot vexisset commoda, lucem.*] E Tibullo III. 3. v. 25.

O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem,
O mihi felicem terque quaterque diem! Burm.

v. 28. *Fons tibi seu vitreis ora rigasset aquis.*] Ovidianum III. Amor. 9. v. 26.

——— ——— *A quo ceu fonte perenni*
Vatum Pieriis ora rigantur aquis. Burm.

v. 35. *Quae tibi victrices nutrit laetissima lauros*] Erat Academia Perusiae, urbis Italiae ad Tiberim sitae, constituta, praesertim seculo decimo quinto nobilitata in primis ab studio iurisprudentiae; vid. Tiraboschi Stor. della Lett. Ital. L. XI. c. 1. § 2. Eo igitur vocatus fuisse videtur *Medices*, cui nunc hoc carmen velut viaticum mittit Secundus.

Atque iterum resonet solitis Academia linguis,
Non isto potior terra sit ulla solo.

v. 41. *Academia*] Sequitur Secundus illos poëtas, sed seculi non optimi, quibus penultima in *Academia* corripitur, cum *Academia* vel *Academea* producatur, ut *Alexandria* et *Alexandrea*, *Antiochia* et *Antiochea*. Ea de re vide ad Anthol. T. I. p. 340. ubi in epigrammate Laureae Tullii de villa Ciceronis *Academia* dicta:

Atque Academiae celebratam nomine villam.

vel *Academeo* (aut *Hecademeo*): et ita legendum praetulisse Iacob. Wallium colligere licet ex eius imitatione Lib. I. el. 2. p. 174.

Tu Luculleas supra memorabere villas,
Quaeque Academeo nomine nomen habet.

Burm. Veteres sequitur etiam Lazzarus Bonamicus, Italus, in Carm. ad Donat. Rullum Carm. Ill. Poët. Ital. T. II. p. 386.

Aut Academiae, et platani quaecumque sub umbra
Felices animae cecinerunt, discere tentes.

EPISTOLA IX.

AD VIGLIUM ZUICHEMUM, FRISIUM, IURECONSULTUM.

Bitturigum muris infectis tabe rapaci,
Qua dulces animas tot posuere viri,

Tot-

Ad Vigl. Zuichemum] De hoc patriae ornamento nunc quidem nihil dicam. Quanta autem inter Viglium et Secundum necessitas intercesserit vide ex ipsis Viglii verbis, quae in praefatione ad Basia laudavimus. Pestis, qua tum, quum iurisprudentiae operam dabat duce Alciato, urbs Biturigum erat afflicta, sicut non raro iis temporibus morbi contagiosi grassabantur per urbes et regiones, huius, inquam, pestis saepius meminit noster. Ipse quoque periculi vitandi gratia urbem reliquerat; ruri cum fratre procul a

pa-

Totque genas, rosea et pallentes ora puellae
Lurida transnarunt stagna nigrantis aquae,
Exsul ab urbe diu Menetovica rura tenebam;
Exsilii socius, quam bene! frater erat,
Cum quo communi partibar fata dolore,
Plus solito tristi pectore multa movens;
Qualia perpetimur patriae qui dulcibus arvis
Hospita praetulimus tecta viasque sequi.

Tris-

patria vivebat; patrem mortuum esse audiverat; praeceptor et amicus Alciatus aegrotabat: quid mirum, si tot tantaeque calamitates iuvenilem animum deiecerint, et, qua ceteroquin abundabat, hilaritatem fugaverint, ita ut novas sibi continuo velut aluerit calamitates? quid mirum si in tanto dolore amici suavissimi literae velut ipsam salutem afferre videantur, et candido pectori versus exprimant animi sensus ad veritatem referentes? Haec scilicet indicia sunt, quae verum produnt poetam.

v. 1. *Bitturigum muris*] Ita scripsit, quia prima in hac voce Lucano aliisque corripitur: corripuit etiam Secundus L. II. epist. 5. v. 2. Produxit L. I. Epigr 59. et infra bis in epist. 11. v. 48. et 73. Burm.

v. 5. *Menetovica rura*] Diu quidem, quae tandem essent haec *rura Menetovica*, et ipse quaesivi, et alios audivi quaerentes: tandem tamen rem me expedivisse, vix est quod dubitem. Nimirum in Ortelii mappis geographicis se invenisse nomen oppiduli *Menetoh* sive *Menesto sur Cher*, mihi significaverat frater meus Ioannes. Hunc ductorem secutus ecce incidi in Dioeceseos nomen *Menetou-Salon* in antiqua Biturigia inferiore, cuius meminit Buschingius Geograph. T. II. Part. I. p. 559. vers. Belg. Iam in huius Dioeceseos aliqua parte, in agris Menetovicis, commoratum fuisse Secundum cum fratre certo equidem affirmare non dubito.

v. 10. *Tristia multa meo sub pectore condensabam.*] Versus gravissimus, nec tamen fortasse satis Latinus. Sequens est ab Ovidio mutuatus Her. Epist. II. v. 21.

 Den-

ab

Tristia multa meo sub pectore condensabam,
Inque meas clades ingeniosus eram.
Languida confecti patris occurrebat imago,
Qui tunc, cum miserum liquimus, aeger erat.
Matris inexpletae mentem subiere querelae,
Seu moriente viro, sive trahente necem.
Omnia funesti praebebant omina casus:
Mens est vicini saga subinde mali.
Fluctibus aequoreis agitatis flamine nullo,
Navita versandas turbine novit aquas:
Nos quoque perculsi moestam sine vulnere mentem,
« Heu! veniunt nostrae flabra maligna rati,"
Diximus, et longas querula in suspiria noctes
Traximus, et nigros per loca sola dies.
Has inter curas tua, mellitissime Vigli,
Candida felici litera venit ave.

Ad.

Denique fidus amor, quidquid properantibus obstat,
Finxit; et ad caussas ingeniosa fui.

et Trist. II. v. 342.

Inque meas poenas ingeniosus eram.

v. 13. *Languida confecti patris occurrebat imago.*] Forsan cogitabat illud Didonis ap. Ovid. Epist. VII. v. 69.

Coniugis ante oculos deceptae stabit imago
Tristis, et effusis sanguinolenta comis. Burm.

v. 25. ss. *Has inter curas* cet.] Similem quemdam locum habet apud Ovid. in epistola ad Rufinum Pontic. I. 3. pr.

Reddita confusae nuper solatia menti
Auxilium nostris spemque tulere malis.
Utque Machaoniis Paeantius artibus heros
Lenito medicam vulnere sensit opem:

Sic

Adspexi, et subito sensi per membra calorem,
Et rubor in toto plurimus ore fuit.
Necdum certus eram, cuius foret illa sodalis,
Pectoris hanc cari sed fore certus eram.
Prodidit at dea te, quae te iam prodidit orbi,
Virgineam rutila casside pressa comam,
Felix quae signat, quos dictat et ipsa libellos,
Et micat in digito gemmea forma tuo.
Hanc ubi conspexi, Certe hic est Viglius, inquam,
Et tanti veteris cura sodalis erat,
Ut sibi de caris tantum decerperet horis,
Huius longinquis quod daret alloquiis?
Protinus abrumpens chartae retinacula, vidi
Nomen, honoratum quod mihi semper erit.

Pe-

Sic ego mente iacens, et acerbo saucius ictu,
Admonitu coepi fortior esse tuo.
Et iam deficiens sic ad tua verba revixi,
Ut solet infuso vena redire mero.

v. 31. *Prodidit at dea te.*] Respicit ad insignia Viglii Zuichemi, vel ad gemmam annuli signatorii, Palladis galeatae effigie insignitam. Quanta vero Viglium inter et Secundum a prima iuventute fuerit animorum et studiorum coniunctio, patet ex Viglii ad Secundum epistola, edita in Anal. Hoynckii a Papendr. T. II. P. I. epist. 38. p. 77. ubi in notis nonnulla de Iano Secundo, eiusque patre Nicolao animadvertit Hoynckius. Burm. Ceterum ex toto huius epistolae tenore colligitur, nuncium de morte patris Secundo allatum fuisse intra illud tempus, quod excurrit ab accepta Viglii epistola, ad hoc Secundi responsum. Scripta igitur sit haec epistola necesse est exeunte anno 1532. vel ineunte anno sequente. Et sane epistola Viglii scripta est d. 22. Junii 1532.

Pectore dein avido dulcissima verba voravi,
Quae mihi laetitiae caussa perennis erunt,
Quorum tunc nobis sensum patiemur abesse,
Corpore ab hoc animum cum patiemur agi.
Illa semel magnos mihi discussere dolores;
Illa legam, quoties non bene laetus ero.
Namque velut densa quibus est iter arbore clausum,
Ducit ubi incertos semita falsa pedes;
Inque vias varias vestigia circumflectit,
Semper et exponit deteriore loco,
Visa per angustam rimam, seu visa videri
Plana graves animos arva repente levant:
Talis in his tenebris tua venit epistola nostris,
Nigraque suffudit lumina luce nova;
Candidior noctes primum tres sole secuto,
Alcmenae e thalamis astra petente deo.
His ego deliciis seu pondera divitis auri,
Purpurei spolium seu maris anteferam?

Quas-

v. 55. *Candidior noctes primum tres sole secuto* cet.] Hygino fab. 29. furtum Iovis et Alcmenae narranti, „*Iupiter dicitur tam lubens cum ea concubuisse, ut unum diem usurparet, duas noctes congeminaret, ita ut Alcmena tam longam noctem admiraretur.*" Alcmenae fortasse haud adeo ingrata fuerit haec tam longa nox: mortalibus tandem post tergeminam noctem exorta lux debuit esse gratissima. At, inquit poëta, gratior etiam mihi fuit tua epistola.

v. 58. *Purpurei spolium seu maris anteferam?*] Purpureum mare dicit rubrum, exemplo fortasse minus probando. Ceterum ob oculos habuit locum Tibulli I. 10. v. 33,

Tunc

Quasque tulit flavas toties Campania messes;
Quaeque tulit toties vina Falernus ager?
Non ego sum talis, nec sic alienor ab illis,
Tinnula quae liquido vertice plectra movent.
Nec, mihi quae tribuunt, quae non agnoscere possum,
Illa mihi pretii verba minoris erunt.
Dicta mihi credam, fuero cum dignior illis:
Interea affectus sint mihi signa tui.
Ne tamen ignores quem te dignaris amico,
Deceptum ne te forte queraris, habe.
Non est qui Fabios, Gracchos Sullasve loquatur,
Sitque peregrina civis in Armenia;
Et quotus a primo Croesus spoliaverit orbem
Noverit, et quanto sole calescat Arabs;
Aut qui multa fori variantis iura notavit,
Aut qui Pegasea labra rigarit aqua:

Non

Tunc mihi iurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si, Bacchi cura, Falernus ager.

v. 61. ss. *Non ego sum talis* cet.] Viglius dicta epistola, qua respondet priori Secundi, ea inprimis tractat, quae ad utriusque studia pertineant, et Secundi tam multiplicem scientiam, quam facultatem poeticam valde laudat. Iam respondet noster, se quidem admodum delectari amoenioribus Musis, neque tamen tantas laudes, quibus eum cumulat amicus, agnoscere posse: et ad reliqua quidem studia, historiae, iuris, alia, quod attinet, se in his mediocriter tantum versatum esse modeste dicit. Hinc perperam v. 74. pro *aut* restituendum *sed* existimat Grudius frater apud Burm. Syllog. Epist. T. II. p. 310.

Non tecum ingenio, tecum contendet amore:
Legibus his dextram dat tibi, datque fidem,
Quam non ulla sua rumpent vertigine secla,
Nullaque divellent inter utrumque loca.
Annuis, et talem non adspernaris amicum;
Annuit intonsa Phoebus et ipse coma:
Et dixit, rata sint haec foedera, dum mihi duris
Barba genis, nullus fronte capillus erit.
O igitur, nullos animo delende per annos,
An tecum fandi tam cito finis erit?
Nec tibi fortunae patefient omnia nostrae,
Sive levet, pressa seu gravet illa manu?
Scribere consuemus quo delectentur amici:
Primus eris gemitu qui feriare meo,
Dignus nullorum qui spectes ora dolentum,
Cunctaque cum risu tempora lucis agas.
Non tua damna leges, sed maxima damna tuorum,
Quae tibi sunt propriis non leviora malis.
Deseruit nostras spes, et migravit in altum,
Hei mihi, tarda negat dicere lingua, pater.
Nec nobis licuit quae munera debebamus
Reddere, suprema, non iteranda, die;

Iam

v. 89. *Dignus nullorum qui spectes ora dolentum*] Adhaeret Propertio III. 8. v. 7.

Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes. Burm.

v. 95. *Nec nobis licuit* cet.] Latius haec persequitur in Querela de morte patris Funer. Carm. I.

Iam iam claudendis mandata excerpere labris,
Et cilia exstinctis obdere luminibus,
Et deploratum tumulo componere corpus
Molliter, et violis spargere triste solum,
Longaevasque notas memori mandare sepulcro,
Quas videat properans et remoretur iter
Hospes, et humentes aegre compescat ocellos,
Et dicat: Cinis hic nobile pectus erat.
Hoc fuit, hoc igitur, quod tot monuere dolores,
Visaque germano somnia, visa mihi.
In quibus, hac ipsa nobis oblatus in urbe,
Visus erat senium iam posuisse suum,
Et florere novo nimium iuveniliter aevo:
Floret; at, heu, nostris aruit ille bonis.

Flo.

v. 99. *Componere*] De hoc verbo hac in re solemni vide Broukh. ad Tibul. III. 2. v. 26.

v. 104. *Cinis hic nobile pectus erat.*] Prop. II. 8. v. ult.
Nec dicet: Cinis hic docta puella fuit. Burm.

v. 105. ss. *Hoc fuit, hoc igitur* cet.] Confer illud Herculis Strozzae Lib. I Amor. p. 70.

Hoc erat, ignotae quod edebant pectora curae,
Hoc erat, obscoenae quod cecinistis aves.
Hinc ea sub lucem in somnis portenta videbam,
Tam male ter salsa fruge piata mihi.

et Lotich. I. el. 8. v. 97.

Nil laeti superest: ostentant omnia luctus.
Nescio quae clades sera, sed ampla, venit.
Hoc erat, hesternae quod turbida noctis imago,
Moesta quod obscoenae signa dedistis aves.

Burm. Vide ibid in Add. p 670. et quae adnotavimus ad illud Relandi Galat. Eleg. XIII. v. 35.

Scilicet hoc praesaga mali mens ante timebat,
Cum mihi dicebat, non reditura, vale.

Floreat, et virides annos in valle resumat,
Myrtea qua longo vere tepescit humus.
Nos humiles animae externo repemus in orbe,
Damnati lacrymis, cladibus, exsilio;
Felices solis, si quos numeramus, amicis,
Qui stabiles vere sint, similesque tui.
Haec ego non potui, quamvis lacrymosa, tacere:
Forsitan huc tristes me rapuere modi,
Nataque flebilibus tantum miseranda querelis,
Passibus imparibus quae Dea frangit iter.
Scilicet hoc vultu cum nos Elegeïa vidit,
Credidit ad luctus se tumulosque rapi.
Nec mora; compositos dissolvit moesta capillos,
Nec mora; cupressum movit utraque manu,
Funereasque faces circum mea pulpita vidi.
Quid facerem? potui nil, nisi quale vides.

EPISTOLA X.

AD IOACHIMUM POLITEN, MEDICUM ET POETAM.

Numquid ubi manibus sese tua litera nostris
Obtulit, et cupidis auribus hausta fuit,
Tunc

Ad Ioach. Politen] *Borger* vel *Burger* vernacula lingua hunc dictum fuisse existimat vir eruditiss. I. H. Hoeufft in Parnass. Belg. p. 17. quo loco ex Val. Andreae Bibl. Belg tradit, eum natione Goesanum e Zelandia fuisse, et Senatus Antverpiensis ab actis. Medicinae quoque operam dedisse ex huius epistolae titulo

*ll

Tunc subiisse meum plenissima gaudia pectus
Credis, et immemorem pene fuisse mei?
Qualem animum vidi? vel qualia carmina legi?
Carmina, Apollineis emodulata sonis.
A quibus et titulos et nomina deme locorum,
Naso sua dicet haec perarata manu.
Haec quoque blanda videns operosi Musa Properti,
Iniiciet dominas in tua scripta manus.
Sed quid ego venerer divini carminis artem?
Maius ibi quiddam, quo caperemur, erat.
Illic exemplar sinceri lucet amoris,
Qualis Saturni tempore rarus erat;
Qualis erat iuvenis Phocaei, qualis Orestis,
Hic cum pro socio vellet, et ille, mori.
Hunc ego non redamem? non hunc complectar amicum?
Altera pars animae non erit iste meae?
Invida sed rebusque hominum contraria fata!
Cur non unanimes urbs tenet una duos?
Non ullum nobis simulacrum maius haberet
Illaesae fidei vivida posteritas.
Non tibi me frustra tua somnia saepe reducunt,
Et tibi rara mei non memor hora venit.

Igni-

apparet. De eius facultate poëtica ut bene cogitem, facit testimonium Secundi nostri, etsi ipsa illius poëmata, quae Antverpiae prodierunt a. 1548., videre numquam mihi contigerit. Etiam alia scripta eidem attribuuntur. Vid. Val. Andr. p. 446. Ceterum haec Secundi epistola scripta est, cum in Hispaniam abire hic pararet.

Ignibus aethereis haec est vis insita quondam:
Absentes tacito sidere multa movent.
Aune putas vacuum sine te mihi tempus abire?
Semper in obtutu stas, Ioachime, meo.
Stant tecum dulces, quorum es pars magna, sodales,
Mens quibus a nobis non aliena fuit.
Si toties aliquid de me tibi somnia narrant,
Nostra tui quoties pectora tangit amor,
Morpheus haud alio vultu te visat oportet,
Quam nostro, aut similis si qua figura meae est.
Si tibi transfundunt affectus numina nostros,
Saepe fatigamus sidera, saepe Deos;
Teque fatigamus, cui forsan dulcius esset
Conterere in cura commodiore diem.
Iam potes e nostris fessus quoque versibus esse,
Et brevius cuperes me, meliusque loqui:
Forsitan et chartam volvendo saepe tueris,
Quod sis emensus, quod tibi restet iter.
Perfer et obdura: tu carmina nostra petebas,
Scilicet illa putans plena sale et venere.
Ergo alacri vultu lege, nec mala dixeris esse,
Illa sed auriculis finge placere tuis;

Ut.

v. 25. *Ignibus aethereis haec est vis insita quondam*] Diceres poëtam h. l. spectasse Epicuri doctrinam, qua absentium cogitatio simulacrorum incursione fieri dicitur. Nam a corporibus continuo effluunt, et quaqua versum volitant εἴδωλα, quae cum ad animum nostrum accedant, eorum cogitationem inferunt. De his simulacris lepide iocatur Cicero ad Fam. XV. 16.

Utque potes, lauda, gemino ne angare dolore,
Versiculisque meis, iudicioque tuo.
Quodsi digna tuis ferrem tibi praemia votis,
Et nisi, quam tibi tu, mitior ipse forem,
Dî magni, quam tu horribilem sacrumque libellum,
Carminis acciperes quanta venena mei!
Sed te, correctum leviter, dimittere certum est,
Ut minimo discas cautior esse malo.
Adscribam tantum quod, opinor, scire laboras,
Quae via sit vitae nunc ineunda mihi.
Me mea ad Herculeas invitant fata Columnas,
Languida qua Phoebi plaustra cadentis eunt.
Inde alias forte atque alias peragrabimus oras.
Hoc est humanae conditionis opus.
Et certe iuvat hoc, ut cum me fata reposcent,
Cedere perspecto lenius orbe queam.
Multos longinquo fortuna beavit in orbe,
In quorum numero me quoque forsan habet,
Multos crudeli fato sine honore iacentes
Dira peregrina vix bene texit humo.
Quis scit an illorum numero quoque forsitan addar,
Nec sinat in patria me regione mori?
Ut mea transcurrat contemnens ossa viator,
Ignotumque oculo nomen eunte legat,

Et

v. 63. *Multos longinquo* cet.] Imitatio Propertii I. 6. v. 27.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat. Burm.
v. 69. *Ut mea transcurrat* cet.] Ex eodem II. 8. v. 35.

Et

Et dicat: Patria quis te mutare relicta
Ferventes alio sole coegit Afros?
Ante fores dominae melius tumulasset inertem
Pars superiniecti non onerosa soli.

Et tua transibit contemnens ossa viator. **Burm.** Lotich. I. el. 6. v. 83.
Ossaque praeteriens ne calcet operta viator. **Fr. Burm.** Adde Prop. III. 6 v. 39.
Ut quoties Paeti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: et audaci tu timor esse potes.

v. 71. *Patria quis te mutare relicta* cet.] Hac Secundi imitatione vera apud Horat. II. 16. v. 19 probatur lectio

——— *Quid terras alio calentes*
Sole mutamus patria? quis exsul
Se quoque fugit?

vulgo male *patriae quis exsul?* quod tamen tuetur Bentleius. Vide ad Lotich. I. el. 6. v. 84. et ad Anthol. Lat. p. 528. Firmatur quoque loco Virg. G. II. v. 512.

Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem. **Burm.**

v. 72. *Afros*] In omnibus quidem editis exaratum est *agros*. Verum non dubitavimus exquisitam hanc dare lectionem, quam ex autographo, ut opinor, suo exemplari adscripserat Pet. Francius. Sunt autem Hispani moribus et ingenio, et vero origine tales, quos haud absurde Africis populis adnumeres.

v. 74. *Ante fores dominae melius tumulasset inertem*] Ex Propertii L. III. el. 5. v. ult.

Ante fores dominae condar oportet iners. **Burm.**

EPI-

EPISTOLA XI.

AD SIBRANDUM OCCONEM.

Quem sibi de multis iunxisse sodalibus unum
  Antiqua voluit perpetuare fide,
Hanc tibi tam longe mittit, Sibrande, salutem
  Ianus, et inquirit sedulus ecquid agas?
Num valeas, sortisque tuae sine nube sinistra
  Haec tibi florentis tempora veris eant?
Nam sine me, memini, mihi te narrare solebas
  Ducturum moestos et sine sole dies,
Qui nunc in vana me sollicitudine rides,
  Et memor in laetis vix potes esse mei:

In-

[*Ad Sibrandum Occonem.*] Hic *Sibrandus Pompeius Occo*, Amstelodamensis. patre natus erat Pompeio Occone, Frisio, qui Amstelodamum concesserat habitatum, et bonarum artium cum esset amantissimus domum suam velut commune constituerat eruditorum receptaculum, filium vero Sibrandum non tantum egregie instituendum curaverat, sed et illum in Italiam, Galliam et Germaniam miserat, quo maiorem sibi et doctrinae copiam et bene vivendi praecepta compararet. Hic patris spem haud irritam faciens, redux in urbe natali amplissimos adeptus est honores, annis 1541, 1542, 1556., ipsamque adeo urbis praefecturam gessit. Interim tamen haud neglexit Musas amoeniores, earumque cultores, quorum praecipui fuere Alciatus, Viglius Zuichemius, et Ianus Secundus. Vide Io. Is. Pontani Descript. Amstel. Lib II. c. 28. p 241. et Wagenaer. Hist. Amst T. III. p. 199 in fol. Meminit Val. Andreas Bibl. Belg. p. 781. libelli precatorii hoc titulo: In melius: Pompeius Occo: qui num filii an patris sit, non satis constat mihi, siquidem nihil amplius de auctore vel tempore addit.

Inque sinu dominae lenta cervice recumbis,
Oreque de roseo mellea dicta legis,
Qualia deposuit amoto verba marito
Pastoris Phrygii Tyndaris in gremium.
Aut tentas varias, domina ridente, choreas,
Aut studiis alacer dulcibus invigilans,
Colligis a magno legum decreta magistro;
Unde tibi vitae fama sequentis eat.
Interea nostri tantum a te cura recessit,
Quantum de Ligeris flumine Scaldis abest.
Hoc ego vaticinor: sed si mihi diceret illud
Cynthius, oraclo non foret ulla fides.
Non ego Dodonae dicenti talia credam;
Tu quoque si iures per sacra perque Deos,
Et probus et verax et longo mihi cognitus usu,
Scilicet hoc uno nomine vanus eris.

Te

v. 17. *A magno legum decreta magistro*] Alciato: nimirum Avarici primum alter alteri innotuerat. Vid. v. 47. Ibi etiam nunc degebat Oceo; in patriam reversus iam erat Secundus. Vid. v. 20.

v. 21. *Sed si mihi diceret illud Cynthius*] Ita recte a Scriverio restitutum fuit, quum in MS. legeretur *diceret idem* metro repugnante. Vid. ad Lotich. IV. el. 5. v. 59. et ad Lib. III. Carm. p. 545. Male igitur *idem* in prima edit. Ultr., Parisina Duvallii et Spirensi. Burm. Ceterum imitatur Ovid. IV. Trist. 8. v. 43.

Hoc mihi si Delphi, Dodonaque diceret ipsa,
Esse viderentur vanus uterque locis.

qui et IV. ex P. 3. v. 51. simili quodam modo:

Litus ad Euxinum, si quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getae:
I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
Quidquid et in tota nascitur Anticyra.

Te mihi iunxerunt nivei sine crimine mores,
Simplicitasque sagax, ingenuusque pudor,
Et bene nota fides, et candor frontis honestae,
Et studia, a studiis non aliena meis.
Addidit his tacitos nutus, motusque benignos,
Et nodo vinctum duxit utrumque pari
Natura omnipotens, et si quod numen amicis
Praesidet, et sanctas iungit amicitias
Artibus occultis, Puerique volatilis instar
Tela gerit pharetra forsan acuta gravi.
Credo equidem, venis hominum quoque spicula mergit,
Ventilat accensas et Deus iste faces.
At non ventosis huc illuc fertur ab alis,
Explorat dubio nec pede coecus iter.
Providus arcana tangit praecordia flamma,
Concordis vitae quam tenor unus alit;
Qua sine fraterni languescit nodus amoris,
Nec bene natorum cum patre constat amor.

Quod

v. 27. *Nivei, sine crimine mores.*] Ovid. I. Amor. 3. v. 13.

Et nulli cessura fides; sine crimine mores;
Nudaque simplicitas, purpureusque pudor.

v. 33. *Et si quod numen amicis Praesidet.*] Rursus ex Ovid. II. ex P. 3. v. 19.

Illud Amicitiae quondam venerabile numen
Prostat, et in quaestu pro meretrice sedet.

quam lectionem pro *nomen* hac sua imitatione defendit Secundus. Sic quoque legendum alio Ovidii loco Trist. I. 8. v. 15.

Quod nisi me fallo, quisquis fuit ille Deorum,
Coniunxit nostras complicuitque manus,
Cum primum patrio provectus ab orbe subissem
Docta vetustorum moenia Bitturigum;
Tunc ego te vidi, tunc tecum pauca locuto
Spes inconcussae venit amicitiae.
Tu quoque visus eras votis accedere nostris,
Et sensu tacito iam bene velle mihi.
Forsitan haud aliis pepigerunt foedera sacris,
Ad quorum stupuit Cerberus ipse fidem,
Cum, vivus vivum, Theseus, comitatus amicum,
Tranavit Stygias et remeavit aquas.
Tempore livescit sublimi vitis in ulmo,
Tempore florentes spica colorat agros,
Tempore distincto signantur poma rubore,
Flumina temporibus, tempore crescit amor.
Hei, cur non nostri (quid enim iucundius esset?)
Tempora convictus plura dedere Dei!
Exemplum canis essemus uterque capillis
Rarum servatae semper amicitiae.

Nunc

v. 45. *Quisquis fuit ille Deorum*] Ovid. Metam. init.
Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Materiem secuit —

Ceterum est omnis hic locus de Amicitia inter pulcros pulcherrimus, et hominem prodit pectoris integerrimi.

v. 63. *Exemplum canis essemus uterque capillis*] Tibulli I. 7. extr.

——— ——— *Nos, Delia, amoris*
Exemplum cana simus uterque coma. Burm.

Nunc via, nunc montes, et cum tot flumina silvis,
Moenia divisos et numerosa tenent.
Dividat et tellus, et corpora dividat aequor,
At praesens animis hic tibi semper erit.
Ille vel immensi peragraverit invia ponti:
Et loca quae nullo sunt pede tacta prius.
Ille per obstantes muros, obstantia claustra,
Ingreditur longum clam taciturnus iter,
Bitturigumque simul mediam delatus in urbem,
Sibrandum subito sistitur ante suum;
Et tecum solitis fallit sermonibus horam.
Evocat in nostros te quoque saepe lares,

Ac

v. 65. *Nunc via, nunc montes cet.*] Ovid. Trist. IV. 7. v. 21.

Innumeri montes inter me teque viaeque,
Fluminaque et campi, nec freta pauca iacent.

quod e versu Homerico petitum Il. A. 156.

μάλα πολλὰ μεταξὺ
Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα.

Cic. Phil. XII. 5. *Sed si maria, montes, regnorumque magnitudines interessent, adisses eum, quem non videres.* Io. Iov. Pontanus L. I. Amor. Coniug p. 43.

Me miserum quanti montes et flumina quanta
Amplexus prohibent, cara Hadriana, tuos.

Nost. Lib. I. epigr 19.

Cur mihi tot montes, et saxa obstatis eunti!

Burm. Cum hoc nostri loco convenit illud Relandi Galat. Eleg. IV. v. 25.

Te, licet absentem, mihi quaelibet hora reducit,
Quoque oculis nequeo pergere, mente feror.

ad q. l. citavimus Ciceronem et Broukhusium, quibus adde Aeschinem Orat. contra Ctesiph. p. 544. Reisk. Ἀλλ' ἐπειδὴ τοῖς σώμασιν οὐ παρεγένεσθε, ἀλλὰ ταῖς γε διανοίαις ἀποβλέψατ' αὐτῶν εἰς τὰς συμφοράς.

Ac laribus vestris post tempora pauca reponit,
Et tecum longas itque reditque vias.
Qualiter in somnis variis simulacra figuris
Invisunt nostros et recreant animos.
Est sua praeteritis in rebus saepe voluptas,
Tota nec aufugiunt quae placuere semel.
Arva, semel pinguis quae fluminis unda rigavit,
Dona diu retinent aufugientis aquae.
Nos quoque, qui nuper tot cara reliquimus istic,
Temporis exacti sensus et umbra iuvat.
Ante meos oculos semper tua currit imago,
Umbra levis corpus currit ut ante suum,
Aureus a tergo fudit cum lumina Titan.
Fallor? an et nostri te quoque cura subit?
Et longe positi vultum revocatis amici?
Et tibi rara mei non memor hora venit?
Sive aliquid de me clausum sub pectore servas,
Omnia nobiscum seu via longa tulit;
Vive, et amicitias similes tibi collige nostrae,
Quae minuant vitae taedia longa tuae.

Sci-

v. 95. *Vive, et amicitias similes tibi collige nostrae.*] Colorem deduxit ex illo Ovidii loco III. Trist. 4. v. 3.

Usibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi, et longe nomina magna fuge:
Vive tibi, quantumque potes, praelustria vita.
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.

et postea:

Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias et tibi iunge pares.

quibus similia habes in quatuor Epigrammatibus, quae edidi Tom. I. Anth. Lat. Lib. III. p. 508. ss.

Vi-

Scilicet hoc miseris Deus unum dulce reliquit,
Solamen cunctis et dedit esse malis,
Semper habere aliquem cum quo coniungere possis
Sive tuos lusus, seria sive tua.
Hoc cuicumque datum est, numquam sua fata gemendo
Invidiam toti moverit ille polo.
Sed bene decursae gavisus tramite lucis,
Laudabit grato carmine saepe Iovem,
Qui dederit vitae primum cognoscere fructum;
Quo sine me certe gaudia nulla iuvant;
Non mensae licet ipse suae me Iupiter addens
Det Ganymedea pocula mixta manu.
Nunc quoniam inprimis scio te cognoscere velle,
Et quid agam, et quorsum me mea fata vocent:
Imus ad Occidui longinqua cubilia solis,
Qua niger auriferas portat Iberus aquas.

Di

Vive et amicitias nimio splendore nitentes,
Et quidquid colitur pe spicuum, fugito.

Supra nost. Epist. IX. v. 115.

Felices solis, si quos numeramus, amicis,
Qui stabiles vere sint similesque tui. Burm.

v. 99. *Semper habere aliquem* cet.] Vide Ciofan. ad illud Ovidii Trist. L. 8. v. 31.

Quid? nisi tot lusus, et tot mea seria nosses,
Tot nossem lusus, seriaque ipse tua? Burm.

v. 107. *Non mensae licet ipse suae me Iupiter aduens* cet.] Similiter prorsus Sannazarius L. I. epigr. 61.

Haec mihi si dederis, spernam mensasque Deorum,
Et Ganymedea pocula sumta manu.

Vide ad Bas. V. v. 13.

Di mihi iucundos illic reperire sodales
Dent, mihi consimiles, nec sibi dissimiles,
Sed similesque tibi, similesque sodalibus illis,
Quos mihi praecipue Celtica servat humus.
Tunc mihi nec longaeque viae longique labores,
Nec gravis infesto sidere Phoebus erit.
At tibi tranquillos annos fortuna paravit,
Et dotata domi gaudia servat Hymen.
Ante tuos vives laetus conviva penates.
Quidquid eris, memorem te iuvet esse mei;
Et, seu laeta tuis venient, seu tristia fatis,
Dicere: «Quam longe nunc mihi Ianus abest!
«Participem nostri sese daret ille doloris;
« Divideret mecum gaudia sorte pari."

v. 121. *Ante tuos vives laetus conviva penates.*] Propertianum III. 6. v. 69.
Viveret ante suos dulcis conviva penates.

EPISTOLA XII.

AD PETRUM CLERICUM.

Musae, sidereo soboles iucunda parenti,
Afflictis requies unica pectoribus.

Ro-

Ad Petr. Clericum.] Scripta est haec epistola Montissonii in Arragonia Kal. Octob. 1533. ad Petrum Clericum, socium fidelissimum, de quo vide ad Lib. I. el. 9. Mittit simul cum hac epistola, quae plena est dulcissimorum affectuum, carmen de Pecunia, quod infra legitur Silvar. Carm. I. Cum initio huius epistolae confer epist. 2. et videsis quam diversissimis coloribus eandem imaginem depingat poëta.

Roscida quae liquidis perstringitis antra susurris,
Fida meas semper turba secuta vias,
Usque fatigati devexa cubilia Phoebi,
Quae Tagus irrorat divite flavus aqua:
Mecum quae toties sterili recubastis arena,
In desertorum montibus Arragonum,
Non ad aquae curvo serpentes tramite rivos,
Mollis ubi in patulos sternitur herba toros,
Et tremula rami praetexunt desuper umbra
Regna natatricum vitrea Naïadum;
Sed qua sicca gravi tellus exhausta calore,
Adsidue duros vertitur in lapides:
Ecquae de vobis alio discedere gestit?
Arvaque ferre sacros per meliora pedes?
Ad fortunatam Belgarum mitteris urbem,
Qua nil splendidius spectat uterque polus.
Huc ades, et cinctae cursus imitata Dianae,
In nodum fusas coge Thalia comas;

Ae-

v. 3 *Roscida quae liquidis perstringitis antra susurris.*] Antra saepe Musarum sunt, quippe quae agros et solitudinem amant. Notum est illud Propertii III 1. v. 5.

Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.

Sannazarius:

Nam bene Thespiacas, livor licet audiat, undas
Novimus, et dextro pressimus antra pede.

Roscida antra habet item ex Propertio II. 23. v. 27.

v. 8. *Mecum quae toties*] His et sequentibus similia habes Lib. III. el. 11.

v. 12. *Regna natatricum*] Notetur sonus auribus ingratus *na na*, et vox non bene Latina

v. 19 *Cinctae cursus imitata Dianae.*] Ad comam Dianae in

 no-

Aëriisque viis pernici labere penna,
Et pete Macliniae moenia clara meae;
Deque tibi notis compella vatibus illum,
Qui niveum fusca sub cute pectus habet,
Pectus candidula pellucidius crystallo,
Dignus fortuna candidiore frui.
Notior hoc non est, sed nec tibi gratior ullus.
Insistis longae nunc, scio, prona viae;
Impatiensque morae vix iam mandata requiris,
Quae tecum nostro nomine pauca feras.
Vivere me dices: nam quo vivamus in orbe
Perdidicit proprius callidus ille malis,
Saepe mihi fastum gentis narrare protervae
Suetus, et exsilii taedia multa sui.
Cuncta tamen nobis fratris praesentia cari
Lenit, et unanimi foedere sancta fides.

Lu-

nodum collectam respicit, ut in illo Horatii Lib. II. od. 11. v. 23.

— Eburna dic age cum lyra
Maturet, in comtum Lacaenae
More comam religata nodum.

ubi vide Bentleium, qui tamen male eo refert locum Ovidii III. A. A. 143.

Altera succinctae religetur more Dianae,
Ut solet, attonitas cum petit illa feras.

quae de venatrice Diana, eiusque habitu, quo vestem supra crura succinctam gerebat, cum feras venando persequeretur, ut passim in nummis conspicitur. Vid. ad Anth. Lat. T. I. p. 694. et ad Numism. Sicul. p. 234. Burm.

v. 32. *Perdidicit proprius callidus ille malis*] Igitur ipse etiam Clericus in Hispania commoratus fuerat, sed malo suo. At nihil insuper de hoc Clerico nobis innotuit.

v. 35. *Fratris*] Nic. Gradii.

Ludimus, et lento perfundimus aspera risu,
Inque casa regum marmora despicimus.
Nec de mille malis quidquam me durius angit,
Quam quod abest oculis tam procul ille meis,
Cuius ego lusus, et cuius seria novi,
Qui novit lusus, seria quique mea;
Carmine qui nomen celebris retinebit in illo,
Quo cantata meae lumina sunt dominae.
Hoc mihi purpureis dictatum blanda labellis
Cypria per populos et freta longa feret.
Fallor? an hinc famae surgunt primordia nostrae?
Parsque meae laudis magna feretur Amor?
Omina principiis insunt: Amaryllide lusa
Martia personuit Tityrus arma virûm.
Illa igitur magnis Aeneae clara sub armis
Vivit, regina nec minor est Tyria.
Nos quoque maius opus, sed non tam grande, canemus,
Dulcis ut in tenebras corruat ille labor.

Iun-

v. 41. *Cuius ego lusus* cet.] Vid. ad epist. super. v. 99.

v. 43. *Carmine — in illo*] In elegiar. Lib. I. qui inscribitur Iulia.

v. 49. *Omina principiis insunt.*] Quamquam in omnibus, quotquot vidi, libris editis scribitur *omnia*, non dubitavi tamen edere *omina*: est enim manifesta imitatio versus Ovidiani I. Fast. v. 178.

Omina principiis, inquit, inesse solent.

v. 53. *Nos quoque maius opus*] Bellum Tunetanum, de quo carmine inchoato, sed non absoluto vide Diss. de Vit. Sec. p. XXXVI. in nota.

Iuncta sed in parva vivent tria nomina charta,
Quae legat ignota cuspide tactus amans;
Concordesque gravi gemitu veneretur amores,
Et mollem nostris manibus optet humum.
Annuit his Phoebusque pater, doctaeque Sorores,
Bacchus cornigerum movit et ipse caput.
Seu manet haec illum, seu sors diversa libellum,
Multus at in nostro carmine Petrus erit.
Mollis in illius surgit mihi nomine versus,
Crescit et in celeres pagina longa pedes:
Tunc dulces subeunt curae, tunc verna iuventae
Tempora, et in lacrymas nata puella meas;
Vulnere cum mecum langueret moestus eodem,
Eque suis gemeret cladibus, eque meis,
Eque meis gemerem flammis, flammisque sodalis,
Moverat ex una quas face blandus Amor;
Unaque nutribat facies, qua saepe dolores
Mentibus, heu, nostris, gaudia saepe tulit.
Sed quid praeteritae revocamus tempora vitae,
Turbine quae rabido vertit iniqua dies?
Praeteriti memores, quantum meminisse iuvabit,
Carpamus volucris dona diurna morae.

Hei

v. 58. *Tria nomina*] Secundi, Iuliae, Clerici.

v. 67. *Vulnere cum mecum langueret móestus eodem.*] De hoc utriusque in eandem puellam amore etiam Lib. I. el. 9. v. 19.

Nimirum nostri iam pridem conscius ignis,
Una geris mecum pectore tela tuo.
Unius ex oculis fax est accensa puellae,
Qua iecur Idalius torret utrique puer.

Hei mihi, dum repeto veteres ignarus amores,
Fugit ab adspectu rapta Thalia meo,
Imperfecta ferens tenues mandata per auras,
Praecipitique petit regna beata pede.
Cetera cum charta tibi dextera nota loquetur,
Petre sodalitii pars numerosa mei.
Materiam risus, nam sic, iucunde, mereris,
Montibus in nostris carmina lusa damus:
In quibus omnigenos Regina Pecunia luxus
Explicat, et nitidas emicat inter opes,
Qualis in adspectu Latii Cleopatra tyranni
Sedit divitiis orbis amicta vagi.

Il-

v. 81. *Cetera cum charta tibi dextera nota loquetur.*] Sic correxit Scriverius: *nostra* in aliis. Est imitatio Ovidii Her. Epist. XVIII. v. 20

Cetera cum charta dextra locuta mea est. Burm.

v. 82. *Pars numerosa*] I. e *magna*, *ampla*. Similiter *numerosum pectus* Colum VI 29 dicit *amplum*, *latum*.

v. 85. *Regina Pecunia*] Innuit carmen egregium, quod Silvarum primum est.

v. 87. *Qualis in adspectu Latii Cleopatra tyranni.*] Celebris est illa Plutarchi in vita Antonii narratio de Cleopatra, qua famosa haec mulier fertur navi magnifice instructa vecta sub forma Veneris, puerorum agmine illam stipante, Antonio obviam ivisse. Sidronius Hosschius, poëta haud vulgaris doctrinae, et facultatis poëticae, elegantissimam hanc Plutarchi descriptionem numeris suavissimis inclusit ea elegia, qua vitam divitiis beatam et securam non reddi probatum ivit, Lib. I. el. 1. p. 4. Cum autem hodie haud adeo multi recentiorum poëtarum exemplaria sibi comparare studeant, age hunc Hosschii locum oppido pulcherrimum in generosae iuventutis gratiam adscribamus. Est igitur eiusmodi:

Illam ego cum famulis, illam cum divite cultu,
Permitto manibus, Petre iocose, tuis;

Ius.

Litoribus solvens patriis regina Canopi,
Miranti luxum gurgite, vela dedit.
Aurea puppis erat, formaeque in puppe Deorum,
Monstraque delubris, Nile, recepta tuis:
Bubastisque, Epaphusque, et Anubis, et Inachis Io,
Et quae praeterea numina Memphis habet.
Aurea fulgebant summo carchesia malo,
Fulgebant nitidis illita transtra notis.
Caerula inaurati verrebant aequora remi:
E cedro tabulae, clavus eburnus erat.
Unda repercusso radiabat concolor auro,
Et, qualis Danaën fallere posset, erat.
Mollia purpurei nectebant vela rudentes:
E media fuerant vela petita Tyro.
Ipsa videbatur velorum purpura fluctus
Tingere, purpureas findere puppis aquas.
In medio thalamus: thalamo regina iacebat,
Visa sibi aequoreas inter habenda Deas.
Errabant pueri, quales pinguntur Amores,
Reginam circum, purpureumque torum.
Pars arcum, pharetramque gerit; pars aurea vibrat
Spicula; pars dominae spargit in ora rosas.
Quid memorem, ut cultae nympharum more puellae
Nautarum subeant arte manuque vices?
Ut feriant illae ductis ad pectora remis
Aequora; propulsam dirigat illa ratem?
Haec faciles captat ventos, tractatque rudentes,
Et modo dat Zephyris, et modo vela Notis:
Illa sedet, citharamque tenet, remisque canendo
Imperat, et pulsas carmine mulcet aquas.
Pars philyra flores, et serta fragrantia nectit;
Illa coronandis puppibus, illa Deis
Pars tibi votivas pingunt, Neptune, tabellas,
Quas tibi pro salva munera puppe ferunt.

Sin.

Iusque tibi trado, quod in hanc mihi compe-
tit, omne,
Et dominum magnae te facio dominae.
Felix augurium, magnarum accessio rerum
Iam tibi nimirum, nec mora longa, venit.
Omina non fallunt: certe non omina vatum:
Illa suis vatum suggerit ipse pater.

Singula quid referam? quas pendunt regna Canopi,
Et quas Nilus opes, una carina vehit.

v. 93. *Accessio rerum.*] Contra morem veterum ultimam in *ac-cessio* corripit.

EPISTOLA XIII.

AD AUGUSTINUM SARATUM, HISPANUM.

Multa quidem noster de te narravit amicus,
Deque tuis Musis, deque tuo genio.

Quam

AD AUGUSTIN. SARATUM.] *Saratus* hic quis fuerit aliquomodo nobis significat Nic. Grudius, in epistola ad hunc Saratum Poëm. p. 182 ubi, postquam amicitiam eius valde laudavit, plurima communia utrique esse dicit:

Utraque secretos servant fidissima iussus
Pectora; et arcano est utraque fida manus.
Caesareus tua scripta legitque probatque senatus;
Caesareis oculis litera nota mea est.

Fuit igitur, sicut ipse Grudius Carolo V., ita Saratus senatui Imperatoris a secretis et epistolis. Fuisse hominem doctum, ipsumque Musis operantem patet ibidem. Ceterum aliunde nihil mihi de eo innotuit.

v. 2. *Deque tuo genio.*] Magis Tibullianum esset *de genioque tuo*: apud quem III. 6. v. 48.

Et

Quam tamen adiecit magnae post omnia laudi,
Vix bene credendis laus dedit una fidem.
Dixit: amat, puerumque colit cum matre volucrem,
Et versu teneram nobilitat dominam:
Iamque nec argutae cedit Theresilla Corinnae,
Cynthia nec Coa tam placet in tunica.

Quod

Et si perque suos fallax iuraverit ocellos,
Iunonemque suam, per Veneremque suam.

praeferendum iudicavit Broukhusius, pro *perque suam Venerem*, et illius poëtae peculiarem copulae *que* usum exemplis non paucis illustravit. Propert. etiam II, 21. v. 45.

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebat.

Ovid. I. Trist. 7. v. 24.

Cernere supremo dum licuitque die.

IV. Trist. 1. v. 34.

Materiem culpae prosequiturque suae. Burm.

v. 7. *Iamque nec argutae* cet] Respicit ad versus Propertii, quibus Corinnae inter poëtrias celebres locum dat II. 2. v. 31.

Et quantum Aeolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeae ludere docta lyrae;
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
Carminaque Erinnes non putat aequa suis.

Haec Burmannus, qui plura etiam adfert ad firmandam hanc lectionem, quae tamen, cum iam typis exarata exstant in ipsa eius editione Propertii, hic repetere nolui. Praeterea, quod pace magni viri dixerim, apud Secundum non est sermo de vetere illa poëtria, sed de Corinna Ovidiana, cui postea Propertii, Tibulli et Catulli, amicas iungit, ita ut Corinnae poëtriae mentio parum hic conveniret. *Theresillam*, Surati amicam, celebrat etiam Grud. d. l.

Sic Theresilla tuis toto cantetur in orbe
Versibus, et vati fida sit usque tuo.

De minore versu vide ad Lib. III. el. 3. v. 18.

Quod simul ac dixit, subito mihi mentem animumque
In desiderium vidit abire tui.
Cur ita? quod credam nullum sine Amore magistro
Victuros lepida voce sonare modos.
Sis felix in amore tuo; cultissime vates,
Et vati facilis sis, Theresilla, tuo.
Delia sic, Nemesisque, tuae non invida famae,
Et vocet ad socias Lesbia te choreas.

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

AD AEGIDIUM BUSLIDIUM.

Quae tibi pro misso gratus Xenophonte rependam
Munera, Buslidiae celeberrima gloria gentis?
Mittemus pateras, gemmas mittemus, et aurum,
Fortunatorum felicia dona virorum?
Haec mihi dura negat vultu Rhamnusia torvo:
Haec eadem, vir magne, tibi permulta supersunt.
Quidnam igitur dabimus? fortassis carmina duro
Inconcinna sono stridenti reddere voce

Pos-

AD AEGID. BUSLIDIUM] De hoc Buslidio, cui pro commodato sibi Xenophonte gratias hic agit poëta, et de gente Buslidia, dictum est ad Od. III.

Possumus, et pretium donatis dicere rebus.
Ergo, quot Oceano latitant sub gurgite pisces,
Quot

v. 10. ss. *Ergo, quot Oceano latitant sub gurgite pisces* cet.] Ad numerum infinitum seu permagnum exprimendum, mirum quantopere sibi lusibus indulgeant poëtae. E veteribus citasse suffecerit Catul. Carm. VII. Virg. Aen. VI. v. 309. Ovid. A. A. II. v. 519. Trist. IV. 1. v. 57. V. 6. v. 38. ex Ponto II. 7. v. 25. Martial. VI. 34. E recentioribus aliquot exempla afferemus, quod eorum opera non omnibus, imo paucis, ad manus sunt. Primum locum teneat Sannazarius Lib. I. epigr. 61. qui tot petit ab amica oscula:

——— Quot coelum stellas, quot littus arenas,
Silvaque quot frondes, gramina campus habet.
Aëre quot volucres, quot sunt in aequore pisces,
Quot nova Cecropiae mella tuentur apes.

Huic succedat aetate maior, sed minor elegantia Mich. Marullus p. m. 14.

Non tot Attica mella, litus algas,
Montes robora, ver habet colores,
Non tot tristis hiems riget pruinis,
Autumnus gravidis tumet racemis;
Non tot spicula Medicis pharetris,
Non tot signa micant tacente nocte,
Non tot aequora piscibus natantur,
Non aër tot aves halet serenus,
Non tot oceano moventur undae,
Non tantus numerus Libyssae arenae:
Quot suspiria, quot, Neaera, pro te
Vesanos patior die dolores.

M. Ant. Flaminius Carm. p. 44. ed. Patav.

Quot bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro soluta flores,
Quot spicae Libycis calent in agris,
Quot vindemia porrigit racemos,
Quot vastis mare fluctuat procellis,
Cum nascens pluvias reportat Hoedus,

Quot

Quot volucres agitant celeres per nubila pennas,
Quot nutrit vaga terra feras, quot sidera coelo
Cernuntur nitidam circum rutilantia lunam;
Ver blandum auricomis flores quot gignit in hortis,
Quot profert aestas Cereales torrida spicas,
Quot modo produxit tumidos in vite racemos
Autumnus genitor, quot dulcia poma, quot idem
Decussit flavas ventosus ab arbore frondes,
Quot modo fundet hiems niveos cum grandine
floccos;
Tot tibi sint, pluresque dato pro munere grates.

Q

Quot Ceraunia frondibus teguntur,
Quot coelum facibus micat serenum,
Quot sunt millia multa basiorum,
Quae dari sibi postulat Catullus,
Quotque sunt atomi Lucretianae,
Tot menses, bone Naugeri, tot annos
Vivent aureoli tui libelli.

Hoc cognati sui carmen imitatus est Iul. Caes. Flaminius ibid. p. 421. Verum hic iam Ovidianum illud de Homero *a quo ceu fonte perenni* verissimum esse ipsa verba demonstrant. Iliad. II, v. 468

Ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι
Μυρίοι, ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.

et v. 800.

Ἀλλ' οὔπω τοιόνδε τοσόνδε τε λαὸν ὄπωπα·
Λίην γὰρ φύλλοισιν ἐοικότες, ἢ ψαμάθοισιν,
Ἔρχονται πεδίοιο, μαχησόμενοι περὶ ἄστυ.

Conf. Od. IX. v. 51. et Nost I. el. 2. v. 39 et Bas. XVI. Quod si tamen quis hos Secundi versus artificiosos nimis esse existimet, reputet hanc epistolam scriptam esse a iuvene annorum XVIII. Vide infra v. 58.

O tibi quanta fuit, quanta est quoque cura fovendis
Musarum adsidue studiis, sacraeque Minervae!
Nec satis esse putas factum memorabile fratris,
Illius aeterna noti super aethera fama,
Pridem Pierides vitreis Heliconis ab undis
Ad patrios qui duxit agros, posuitque superbo
Marmore laurigeris habitacula splendida Musis,
Lovanii decus, et terrae ornamenta Brabantae:
Quae nunc cum populis merito certare Latinis
Audet, et ingeniis felix contendere Graiis,
Et sancta Hebraeûm mysteria pandere vatum.
Ergo prius virides spoliabit frondibus alnos
Ver tepidum, glaciemque dabit, gelidasque pruinas;
Floribus et pro purpureis, herbaque virenti
Obteget incultas nivibusque et grandine terras,
Bruma rigens reddet nudatis gramina campis,
Floribus ornabit terram, messemque videbit;
Luna subire volet fraternos ante labores,
Germanaeque suae nocturnum scandere currum
Phoebus, et ignotum cupiet volitare per orbem;
Agricola infido mandabit semina ponto,
Et flavam mediis segetem resecabit in undis;

Bus-

v. 23. *Factum memorabile fratris*] Respicit ad *Hieron. Buslidium*, fundatorem *Collegii Buslidiani* in Universitate Lovaniensi, quod *trilingue* dictum. Vide ad Od. III. Tres illas linguas tribus versibus sequentibus hic indicat poëta.

Buslidiae gentis quam ter veneranda peribunt
Nomina, et eximii morietur fama laboris.
Hoc facient sacri, Phoebeïa turba, poëtae,
Cura viros quibus est victuro carmine claros
Tollere de nigris tenebrosi faucibus Orci,
Et vitam post fata novam praestare sepultis.
Nos humili interea canimus iuvenilia Musa
Carmina, quae teneros licuit lusisse per annos,
Quos mihi iam primum fatalia numina Parcae
Ante dies paucos tres ad tria lustra dederunt.
Forte etiam, pia si faveat modo turba Sororum,
Et Deus integri spatium concesserit aevi,
Maiori meliora tuba, et graviora canemus,
Atque erimus vestrae non ultima buccina laudis.
Tunc inter nostri mihi tu, vir maxime, secli
Proximus a primo numerabere, Maecenates.
Interea placido, quae nunc damus, accipe vultu,
Nosque tuos inter, quod iam fecisse videmus,
Sede vel extrema pergas numerare clientes.

v. ult. *Sede vel extrema pergas numerare clientes.*] Est oppositio ei, quod v. 58. dixerat:

Proximus a primo numerabere.

EPI-

EPISTOLA II.

AD ANDREAM BAVERIUM.

Ille ego, qui tenues versus, et inutile carmen
Hactenus ingratis nimium (nam vera fatebor)
Addictus cecini Musis, florentia longum
Devius in steriles consumens tempora curas,
Iam demum scriptisque tuis, veroque potenti
Admonitus, pluteo cunctos ex ordine vates
Deieci, Flaccumque gravem, magnumque Maronem,
Et quem grandiloquum produxit Corduba vatem,
Quique canit varias aliena in corpora formas
Mutatas, tenerumque docet praeceptor Amorem;
Mox oratores vatum cum paupere turba
Ablatos medio tenebrosa in parte locavi:
In quorum subiere locum Baldique Cynique,
At-

AD ANDR. BAVERIUM.] Quis hic fuerit *Baverius*, quem monitorem plane ridet poëta, equidem ignorare me fateor. Fuisse videtur aliquis ex amicis paternis, qui iuvenem serio admoneret, ut relicto Musarum ministerio, tandem iurisprudentiae tantum operam navaret..

v. 13. *In quorum subiere locum Baldique Cynique*] Innuit *Baldum* et *Cynum*, nobilissimos JCtos, alterum Perusinum seculi XIV, Bartoli discipulum, et deinde acerrimum adversarium, propter varietatem lectionis in aliqua lege: alterum Pistoriensem (perperam *Cinum* appellat Bachius Hist. Iurisp. Rom. p. 704) qui Bononiae ius civile professus est. Floruit circiter annum 1420. multa scripsit, in quibus in primis iuris Canonici se exagitatorem gessit. De utroque consulatur Calvini Lexic. Iurid. ad vv.

Atque alii, quorum tot barbara nomina Musam
Enarrare piget Latiam: quae cuncta ubi nobis
Visa peracta satis, sed iam quoque convenit, inquam,
Quam pergam extremum caris valedicere Musis,
Carmina pauca prius monitori reddere vati.
Ac veluti, tumidas quondam exturbandus in undas,
Dilectam citharam tetigit Lesbous Arion;
Sic ego, praeruptum iam descensurus in aequor,
Ultima decreram faustae dare carmina chartae,
Suasoris quibus ingenium laudare poëtae
Mens erat, et verbis super aethera tollere dignis.
Iamque mihi longo ter Calliopea vocata
Murmure constiterat formoso splendida vultu,
Vocalem manibus citharam praetendere visa.
At simul ingentes vidit longo ordine libros,
Sarcina qui valido possint gravis esse elephanto,
Proque Marone suo reperit ignotaque verba,
Ignotasque notas, et barbara nomina mille,
Obstupuit, calamumque meum frustrata recessit.
Ergo tuis si digna minus damus, optime vates,
Tecum age, qui tanto miserum in discrimine ponis.

v. 14. *Quorum tot barbara nomina Musam Enarrare piget Latiam*] Eleganter de difficultate nomina, elegiaco carmini non apta, numeris includendi, ludit Ovidius IV. ex P. 12. princ.

EPI-

EPISTOLA III.

AD IOANNEM SCORELLIUM,

Canonicum Traiectinum et pictorem eximium.

Pictorum sublimis honos, columenque virorum
Artificum, rudibusque novum decus edite terris;
Qui procul ad patrios orbis monumenta Latini
Fers agros, Rhenique locas ad flumina Romam:
Accipe Maclinia missas tot ab urbe salutes,
Quot nosti varios tabulae dare rite colores,
Quot didicisti hominum diversas ponere formas,
Pingere quot verna solitus super arbore frondes.
Has tibi dat, Batavis tecum prognatus in agris,
Qui discedenti nuper tibi pauca Secundus
Carmina concinuit, devotae pignora mentis;
Exspectatque diem, qua tecum cernere clari
Moenia Traiecti, turritaque templa Deorum
Possit, et ingentem Caesar quam Carolus arcem
Tu-

AD IOAN. SCORELLIUM.] Vide de eo dicta L. I. epigr. 39.

v. 4. *Caesar quam Carolus arcem Tutandis posuit populis* cet.] Carolus V in urbe Traiectina arcem condidit, quam in memoriam pacis Cameracensis, de qua vide ad L. III. el. 8., appellavit *arcem pacis*, *Vredenburg*. Non tamen tam ad urbem ab hoste defendendam, quam ad cohibendos cives exstructa videtur, quod hi scilicet iam non semel Episcoporum dominationem seditionibus infestaverant: hinc quoque, non diu post excussum Hispanorum iugum, arx ista solo est aequata, ita ut nunc eius loco planities appareat, antiquo tamen nomine nuncupata: exstant etiam adhuc arcus subterranei, et porticus, omnes tamen in ruinam vergentes.

Tutandis posuit populis, Pacique dicavit.
O felicem illum, si te monstrante videbit
Divitias gazasque tuas, et quidquid in omni
Vel latet Ausonia, vel daedala Graecia vidit.
Fingimus haec nobis, sed quidnam fingere prodest
Irrita velivolas vento iactanda per undas?
Usque adeo Batavis studiose finibus arcet
Invida me fati series, et iniqua tyrannis
Fortunae, quae diva potens mortalia versat.
Sed veniet, veniet tempus, licet improba pugnet
Laeta hominum Fortuna malis, quod iungere dextras,
Quod notas audire dabit, quod reddere voces,
Si quid vota valent, nec hos tua litera fallit,
Cum te Maclinia iam iam spectabimus urbe.
Interea celeri Phoebus secet aëra curru,
Noctivagôsque boves stimulis vaga Luna fatiget.

v. 30. *Noctivagosque boves* cet.] De Lunae curru nota sunt omnia. Virg. X. v. 215.

——— ——— *Almaque curru*
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum.

Vide Heins. ad Ovid. Her. Epist. VI. v. 85. De bobus tamen Lunae nihil mihi innotuit, imo apud Prop. III. 14. v. 15.

Luna ministrat equis.

Num fortasse ad cornua Lunae respexit poëta? an vero commentum est, haud sane illepidum, ingenii poëtici?

EPI-

EPISTOLA IV.

AD CAROLUM SUCQUETUM.

Carole, quem nondum visum cogebar amare,
Concordes venerans laudes ex orbe remoto,
Quas tibi certatim coetus cumulabat eorum,
Qui mediocre nihil, tantum sublimia norunt
Tollere, non dociles quae sunt laudanda silere,
Heu, quae longinquas advenit fama per oras,
Fama nigrescentum plumarum tegmine pulla,
Funereasque faces atramque ferens cupressum,
Ora gerens centum lugubre sonantia carmen,
Absorptum fatis, et proh dolor, exhalata
Albinas Sucquetum anima solvisse pruinas;
Ac iuvenile illud, dignum melioribus annis,
Tellure in gelida tabescere corpus, at umbram
Pallidulas ivisse vias, ubi creditus olim
Portitor incanus cariosam volvere cymbam.
  Haec tota miserum funestae nuncia cladis
Mente procelloso sic turbine deiecerunt,
Ut vix crediderim simili iacuisse dolore

Con-

AD CAROLUM SUCQUETUM.] Ad eundem epistolam habuimus supra L. I. ep. 6. Plura de eo dicentur infra Funer. Carm. XXI. ubi habetur naenia in Sucqueti mortem veram, quam iam prius, sed falso, esse nunciatam, ex hac epistola patet.

v. 7. *Fama nigrescentum* cet.] Famae descriptionem Virgilianam ob oculos habuisse poëtam, quisque videt.

Confusam Procnen, ficta cum in morte sororis
Sumere barbarico iussa est lugubria regi.
Quid facerem, dulci iam bis privatus amico?
Ante quidem rapto, sed sic ut reddere posset
Si qua dies votis nostris non lenta faveret;
Nunc procul in longis iusso dormire tenebris,
Unde negant oculos vigiles attollere quemquam.
Quid quererer? tecum mens contumulata iacebat;
Et sine sole dies ibant, sine sidere noctes.
Ah, quoties haerens in tristi carmine lingua
Destituit dominum, conantem talia fari?
Tene ergo raptum a patria, caraque parente,
Infelix iuvenis, primaevo in veris honore
Fata peregrino voluerunt pulvere claudi?
Tamque cito potuit mors illacrymabilis unca
Falce tuos annos, et spes resecare tuorum?
Hoc, hoc illud erat, quod cum te eduximus urbe,
Qua sinuosa meant opulenti flumina Deli,
Et procul incipiunt Scaldis sentiscere nomen,
Migrantemque sumus loca per concessa secuti:
Sic alacer, sic laetus eras, teque ire videri
Ad connubia dicebas, laetosque hymenaeos;
Et fortasse tuae metuebas omina mentis.

Heu,

v. 22. *Ante quidem rapto.*] Cum Taurinum in Gallia subalpina iret ius ibi interpretaturus. Vide infra ad dictum carmen.
v. 25. *Unde negant* cet.] Catullianum:

Illuc, unde negant redire quemquam.

v. 35. *Urbe, Quà sinuosa meant opulenti flumina Deli*] Mechlinia. Vide notata ad L. III. el. 10. v. 20.

Heu, nunc illa iacet legum numerosa sacrarum
Cognitio, mensque illa novem devota Deabus,
Et choreae et cantus, et quidquid amabile vi-
tae est,
In tabum tellure nigra depressa recumbunt!
Et quorsum nunc cura? laborque vigil? totiesque
Lux gravis? et toties nox defraudata sopore?
Scilicet ut dicat multis e millibus unus,
Ah, curas, Sucquete, tuas, longosque labores
Abstulit hora nocens, et iniqua mersit arena.
Nempe nihil Divae potuerunt addere lucis,
Qua fundunt liquido resides in vertice cantus:
Fila severa cohors abrupit, terque tribus tres
Praevaluere Deae. Nunc i, cole sacra Sororum,
Sacra colens, quicumque cupis per inertia stagna
Ad sedes avidas et regna tenacia mitti:

Heu,

v. 46. *Et quorsum nunc cura?*] Similia videas Funer. Carm. I. v. 58.

v. 54. *Abstulit hora nocens*] Virgilius:

Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.

Burm. Ceterum gravem haec animi aegritudinem indicant.

v. 53. *Terque tribus tres*] Erunt fortasse, a quibus artificiosa haec hoc loco minus probentur.

v. 54. *Nunc i, cole sacra Sororum* cet.] Ovidium cogitabat epicedio Tibulli III Am. 9. v 37.

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Vive pius, moriere pius: cole sacra, colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.

Burm. Nuperrime vir doctus ultimum distichon ita distinguendum putabat, ut *pius* ad sequentia *cole sacra* referret: quo iure, videant alii; mihi unice vulgata interpunctio probatur.

Heu, fera saevities, et lex non aequa Deorum!
Phoebus ad occasum flammas molitur ab ortu,
Idem florentis iuvenili veris ab aevo
Per rabidos aestus, et pomiferos autumnos
Provolat ad senium glaciale volubilis anni.
Cum semel occoepit arcu pallescere dextro,
Laeva senescenti debentur cornua Lunae.
At nobis miseris incerta stat orbita vitae,
Et quoties iuvenile decus properata senectus
Occupat, et medio flores languescere vere
Cogit odoratos, opulentaque vota caducis
Vellit ab arboribus, truncosque relinquit inanes,
Arentes truncos, et edaci pabula flammae!
Talia volventem, et tantum non talia fantem
Vidit, et ora quater mutavit menstrua Phoebe;
Solque unum coeli spatium complerat, et ignis
Aegocerontaei gelidum peragraverat orbem:
Cum tandem Ausoniis quidam delatus ab oris
Me mihi restituit, lacrymosaque nuncia damnans,
Sese oculis vidisse suis tua lumina dixit,
Et tetigisse manus, vocem hausisse, nec ulla
Narravit venisse tuis incommoda fatis.

Haud

v. 61. *Cum semel* cet.] Comparationem hanc antiquis et novis poëtis valde usitatam illustravi ad Lotich. L. III. el. 8. v. 23. Burm. Vide et ad Relandi Galat. Eleg. X. v. 87.

v. 73. *Aegocerontaei gelidum peragraverat orbem.*] Lotich. I. el. 3. v. 1.

Iam sol Aegocerum coeli regione sub ima
Lustrat, et emeritos sistit anhelus equos. Fr. Burm.

Haud aliter stupui, quam cum conspexit Orestem
Viventem germana, cui funebria dudum
Solverat, et tristes defleverat ossa per aras.
Tunc mihi visus eras gelidis redivivus ab umbris
Illicitas remeasse vias innabilis undae;
Et tali iam nolebam caruisse dolore.
Vive tuos annos, et sint tibi mollia fata;
Inque tuam patriam tibi det fortuna reverti,
Stipatum Musis et terris exsule Diva.
Plectit odoratas tibi Flandria laeta corollas,
Terra parens, cinctura comam redeuntis alumni.

v. 79. *Cum conspexit Orestem Viventem germana.*] Vide Eurip. Iphig. in Taur. v. 827. ss.

EPISTOLA V.

AD MARCUM ANTONIUM CAIMUM, MEDIOLANENSEM.

Tu licet aeternae media virtutis in arce,
Urbem qua posuit Biturix in pinguibus arvis,
Dulcibus insudes studiis, labrisque diserti
Alciati excipias semper manantia mella,

Quae

Ad M. Ant. Caimum.] De eo vide ad L. I. epig. 50. Ubinam autem locorum scripta sit haec epistola, perquam venusta, equidem ignorare me fateor. Fuit, cum de rure Menetovico, de quo ad L. I. epist. 9. v. 5., cogitarem: verum vitae tempus minus idoneum tali hilaritati videri potest, ita ut potius de aliquo Flandriae loco sit cogitandum.

Quae te felicis tinctum medicamine roris
Omnia carpenti prohibebunt cedere fato,
Et fama ingenti magnum super aethera tollent:
Non tamen haec nostris possunt contendere, Marce,
Deliciis, quas rura oculis gemmantia fundunt:
Deliciis, quas ori infundit myrrheus aër,
Et picturatae mittunt per inania silvae
Auribus e volucrum modulamine matutino.
Cedere fumosis ignorant prata caminis,
Et flavae segetes, et opes ter mille colorum,
Fluminaque obliquas inter crepitantia ripas:
Nec, casa quod parva est atque obsita marmore nullo,
Obsita viminibus, nec, quod laquearia centum
Non praebent totidem suspensos vespere lychnos.
Non iuvat hoc etiam; liquidas admittimus auras
Sic melius, minimumque loci est sine mollibus herbis:
Nec tamen hic defit, rabidi quo sideris aestum,
Ventorumque minas satis excludamus et imbres,
Aut ubi securos nocturna silentia ponant;
Aut libris studiisque diurna negotia dedant;
Aut ubi mensa suo spumet genialis Iaccho.
Ante oculos arx est, quae colli imposta virenti

De-

v. 10. *Myrrheus aër — picturatae silvae.*] Sunt quidem locutiones paulo insolentiores, sed perquam tamen poeticae.

v. 15. *Crepitantia*] *resonantia.*

Despicit et silvas, et prata iacentia longe,
Et longe positas spatiis distantibus urbes.
Ipse locus silva est, neque desunt numina silvae:
Saepe illic nymphas, arbusta per arcta vagantes,
Auritosque Deos stupidi videre coloni.
Praesidet his late regnis venerabilis aevo,
Coniuge cum sera natisque virentibus, heros.
Eloquar, an sileam? natam quoque nutrit in arce
Formosam, teneram: sed non potes omnia scire.
Incomitata solet silvis haec saepe vagari,
Vix inter comites bene dignoscenda Dianae.
Nunc vallo conclusa latet: quae causa latendi
Finitimi dubitant: sed sunt, qui dicere tentent,
Advenisse novam Fauni de gente cohortem,
Qui rapiunt quascumque vident per rura vagantes,
In saltusque vagos tractas, et in invia silvae,
Luctantes terebrant villosi pondere nervi.
Hoc quoque quis credit? venandi discimus artes;
Atque ubi luce dies coepit pallescere prima,
Et thalamis egressa viri Tithonia cani,
Ambiguo summos adspergit lumine villas;
Rorantes per agros, canibus comitantibus, itur:
Qui,

v. 35. *Sed non potes omnia scire.*] An fortasse hic primum Iuliae amorem innuit? Certe sequentia videntur indicare similem aliquem virum, quem describit L. I. el. 7. v. 101. ss.

v. 47. *Atque ubi luce dies coepit pallescere prima.*] Cum eleganti hac venationis descriptione conferri meretur Vannierius in Praedio rustico Lib. XVI. ad finem, ubi et venationis praecepta habentur. Venationem summo mane habendam rei venaticae scriptores monent, ut Nemesian. Cyneg. v. 324.

Qui, postquam latos cinxere indagine colles,
Incauto lepori, dum se movet, adsilientes
Plurima conanti decerpunt undique vitam.
Ilicet irruimus, praedamque e dente tenaci
Vellimus; at fera turba canum latrantia frustra
Ora movet, raptoque oculos in corpore figit,
Miraturque suos alio transire labores.
Ah, quoties noto tutoque cuniculus antro
Digressus longe et genti deprensus odorae,
Passibus haud aequis fugit impendentia rostra
Lassus, et exiguae spoliatur munere vitae!
Saepe manu valida lunamus flexile cornu,
Aetheria et tenui terebramus nubila ligno;
Saepe anima dulci spoliamus in aëre corvum;
Saepe per umbrosos saltus, et devia silvae
Turbamus cervae alipedis vestigia ferro.
Perdici quoque pernicies funesta paratur,
Si quando segetes arbustaque tuta relinquit,
Fatalesque petit campos stridentibus alis:
Quippe ubi labentem tellus male fida recepit
Corpore languidulo, fessumque labore volandi,
Hostili subito circum discrimine septus

Mul-

Venemur dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris vestigia servant.

Hinc Gratius v. 223. *primae lucis opus* vocat. Idque religiose in suis venatoribus observare poëtae solent, ut in Cephalo Ovid. VII. v. 701. in Aenea Virg. IV. v. 118 et 130.

v. 60. *Lunamus flexile cornu.*] Mirum quod nunc etiam post sclopeti inventionem arcu venentur.

Multa tremit tacitus, dentataque fata moratur,
Infaustamque animam latrante sub agmine ponit.
Nil artes illi, nec avita sagacia prodest,
Aut genus a puero deductum nobile, primus
Qui serram dedit, et bifido (mirabile) ferro
Circum in se duxit speciem revolubilis orbis,
Quo terraeque, fretumque, et magni machina coeli
Signatur, discuntque viri sua volvere fata,
Ingentemque Iovem tenui suspendere charta.
Haec et plura, velim quae te coguoscere coram,
Ab

v. 71. *Dentataque fata.*] Ad canum morsus referendum, quod ideo noto, ne quis fortasse hic de serra cogitet.

v. 74. *Genus a puero deductum* ss.] Intelligit Talon, sive, ut eum Pausanias vocat, Calon, Daedali ex sorore nepotem, qui primus serrae et circini usum invenit. Vide Diod. Sic. IV. 76. p. 319. ibique Wesseling. Hunc, quod a puero arte vinceretur, prae invidia Daedalus praecipitem misit ex arce Minervae, sed ipsa Dea in avem perdicem mutavit. Ovid. Met. VIII. v. 236. ss. ad quem plura dabit Gierig. Circinum, quem hic eleganter describit Secundus, venuste quoque significavit Ovidius d. l.

Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo
Vinxit, ut aequali spatio distantibus illis,
Altera pars staret, pars altera duceret orbem.

v. 78. *Discuntque viri sua volvere fata.*] Globo enim insistere Fortuna creditur.

v. 79. *Ingentemque Iovem tenui suspendere charta.*] Vel sphaeram coelestem vel Zodiacum intelligit. Iovem enim pro coelo poni, res notissima. Ennius:

Adspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iovem.

Cum h. l. conferri potest illud Virgilianum, in re tamen paululum diversa; Ecl. III. v. 41.

Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Ab desiderio revocant urbisque sacratae,
Mellitoque sodalitio, pars maxima cuius,
Marce, mihi (laetor sic te voluisse) manebis,
Quo te cumque ferent pennis felicibus aurae,
Quo me cumque vehet dubiis Rhamnusia plumis.

EPISTOLA VI.

AD DIDACUM MENDOZAM, POETAM HISPANUM.

Didace, quid frustra vatem, levioribus olim
Adsuetum numeris, urges ad grandia verba?
Car-

AD DIDACUM MENDOZAM.] Hunc arbitror esse *Didacum Urtadum de Mendoza*, virum nobilissimum, qui ad splendidissimi generis decus eruditionem, et poëtices studium adiecit, ut patet ex A. Schotti Biblioth. Hisp. T. III. p. 543. Ad hunc *Diegum Hurtadum Mendozam* Lazari Bonamici epistola scripta, qua vitae rusticae commoda describit, legitur inter Carmina Poëtar. Nobil. a Io. Paulo Ubaldino collecta, edit. Mediol. 1563. p 82. et in Carm. Poet. Ital. a Toscano editis T. I. p. 237. b. In iuventute se Romam contulisse flagratissimo literarum studio incensum, colligere licet ex Iacobi Sadoleti Lib. VII. epist 9. ubi valde eum laudat, et Cardinali Benedicto Accolto commendat. Linguarum Graecae, Latinae, et Orientalium peritum fuisse, et nonnulla etiam scripta edidisse patet ex Colomesio in Hispan. Orient. p. 229. Ex illius Cod. MS. Conradus Gesnerus edidit, et longe emendatiorem integrioremque curavit secundam suam editionem Florilegii Stobaeani, quae prodiit Tiguri 1550. fol. Provectiori aetate rebus bellicis et politicis admotus fuit, et Caroli V auspiciis Senas et Piombinum occupavit, ac Senensis reip. formam ordinavit, ut liquet ex Thuano L. IV. Hist. § 19 p. 157. L. V. § 3. p. 168 et L. VI. § 2. Deinde Legatus Hispanus a Carolo V missus est ad remp. Venetam. Illic describendis Bessarionis Codd. MSS.

Carminaque integris solide constantia membris?
Qualia, cum magni caneret primordia mundi,
Floridus insonuit grandi Lucretius ore?
Magnos magna decent: rivos ego parvaque quaero
Flumina; nec ventos, sed lenem persequor auram,
Turbatos alii fluctus maris, et salientis
Neptuni fremitus, et Tethyos undosaï
Fluctifragis spectent de verticibus scopulorum.

An

MSS. Graecis operam sumtusque impendit, teste Schotto. Sed alii eos furtis saepe repetitis clam subduxisse, repositis in armaria et scrinia aliis Codicibus, et in Bibliothecam Escurialensem ad Hispanos devehi curasse, tradiderunt. Vide Dominici Molini Epistolam Italicam ad I. Meursium inter Gudianas Ep. XLVI. p. 131. et Morhof. Polyh. L. I. c. 4. p. 32. Sed Phil. Labbeus in nova Biblioth. MSS. p. 178. scribit, magnum hunc virum, Venetiis Legatum regis Hispani agentem, multis sumtibus ex Oriente hos Codices Graecos conquisivisse, Turcarumque imperatorem in redemtionem quorumdam captivorum ipsi misisse navem Graecis MSS. Codicibus onustam, e quibus tamen nonnullos periisse, et in Italiae Bibliothecis collocatos fuisse addit. Sane Schottus etiam testatur, Mendozam a Turca imperatore obtinuisse navem, Graecis libris calamo exaratis refertam, qui praeter Codices ex Cardinalis Bessarionis Bibliotheca descriptos translati sunt in Bibliothecam regis Hispaniae Escurialensem. Vide et Heumanni Schediasma de Anonym. et Pseudon. p. 92. Huius Didaci propinquus fuit Franciscus Bovadilla de Mendoza, Cardinalis, eruditione etiam singulari excellens, et qui prioris aemulatione ductus, e Graecis Codices MSS. collegit magno numero, virosque eruditos, eosque inter Bonav. Vulcanium domi suae aluit, quum Romae esset. Vide Schottum ibid p 544. Burm.

v. 7. *Turbatos alii fluctus* cet.] Eleganter his et sequentibus spiritum Lucretianum imitari affectat.

An me non potius myrti iuvet umbra venustae,
Quae gracilem vernis Zephyris impulsa coronam
Commiserata meos mecum suspiret amores?
Quam silva in magna pugnantes cernere quercus,
Turbinibus ventorum in mutua vulnera pulsas?
Qua pineta gravi resonant concussa fragore?
Cumque imis orni radicibus exturbantur?
Nec tenues cantus datur exaudire volucrum?
Tu, quem per maiora vehit fastigia rerum
Spiritus, ingenii laudis perculsus amore,
Et cuius genus heroum de sanguine ductum
Ignorat carmenque leve, et Musam popularem,
Erige te, pete sidera non ignotus avita,
Nec cursum aërio Parnassi in vertice sistas;
Mendozamque domum praeclaram Marte togaque,
Qua nil nobilius circumspicit Occiduus sol,
Extremis notum populis aevoque futuro,
Effice divinis numeris, linguaque diserta:
Namque potes, nec te frustra olim gurgite flavo
Excepit Tibris, sacris et perluit undis,
Insignem cithara iuvenem, rursusque poëtam
Hispanae gentis mirata est maxima Roma:
Nec frustra ad sacras cecinit tibi carmina cunas
Calliopea soror, magnum decus heroinis

He-

v. 12. *Meos mecum suspiret amores.*] Vide ad Catonis Diras v. 106. T. II. Anthol. Lat. p. 668. Burm.

v. 33. *Calliopea soror*] Haec et sequentia aliquanto sunt obscuriora; mihi certe non satis plana. Quomodo enim *Calliopea soror?* num sororem doctam, Musisque operantem habuit Mendoza,

Hesperiis; felix, si numquam fortibus ausis
Cum tenero crudum iunxisset Apolline Martem.
Nos sine ferre gradum tua per vestigia lente,
Saepius atque alio incertos deflectere gressus,
Atque iterum remeare, iterumque iterumque relabi;
Nec tibi displiceat nostrae temulentia mentis,
Infirmique gradus. Si magnum quisque Maronem
Aequasset, numquam didicisset Delia cautos
Fallere custodes, et mensas pingere vino,
Nec nosset succos collo quîs livor abiret.

Cyn-

za, quae decus fuerit heroinis Hesperiis? Et quo tandem referendum illud *felix?* An ad Mendozam, qui certe et bellica tractavit? At quam duro sententia obliqua sic inseritur? An tandem ipsa illa soror *feminea tetigit arma cruenta manu?* Hoc suadere videtur totius loci nexus.

v. 43. *Fallere custodes* cet.] Respicit in his Tibulliana I. 6. v. 9.

Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes; heu, heu, nunc premor arte mea.

———— ———— ———— ———— ————

Tunc succos herbasque dedi, quîs livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

illud *mensas pingere vino* est ex Ovidio Art. II. v. 127. At omnem hunc locum mutuatus est ab eodem Ovidio Trist. II. v. 449. ss. de Tibullo:

Fallere custodem demum docuisse fatetur,
Seque sua miserum nunc ait arte premi.

———— ———— ———— ———— ————

Utque refert, digitis saepe est nutuque locutus,
Et tacitam mensae duxit in orbe notam.
Et quibus e succis abeat de corpore livor,
Impresso fieri qui solet ore, docet.

idem Ovidius ibidem subiungit etiam Propertium. Operae pretium fuerit cum his conferre Graecum Stratonis epigramma, quod exhibet Ruhnken. ad Iul. Rufiniani Schema Lexeos p. 260.

Cynthia non clausos dilecti vatis ocellos
Docta reclusisset tremebundo molliter ore:
Nec Veneris puer indomitus Nasone magistro
Maternam cultis iam moribus ingrederetur
Per Romam, patriae iam non memor amplius Aetnae.
Denique si paribus certarent nixibus omnes,
Quot rapiunt volucres Elaeo in pulvere currus,
Quis ferret primum palmae viridantis honorem?

v. 49. *Patriae iam non memor amplius Aetnae.*] Similiter in fragmento carminis de utroque Cupidine Silvar. Carm. XV.

Quorum hunc silvarum sub ramis Elysiarum
Vallibus in riguis enixa est mater: at illum
Flammantes inter fornaces edidit Aetnae.

EPISTOLARUM FINIS.

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

FUNERUM

LIBER.

I.

IN OBITUM CLARISSIMI VIRI NICOLAI EVERARDI, MEDIOBURGENSIS, PATRIS PIENTISSIMI QUERELA.

Ilicet, invenit vox interclusa meatum,
Exiguamque viam per tot suspiria duxit,

Et

FUNERUM LIBER.] Habent plerumque carmina eiusmodi funebria maximam commendationem apud eos, ad quos proxime pertinent: verum elegantis et summi ingenii carmina, cuiuscumque etiam argumenti, habent, quibus se apud omnes bonarum rerum aestimatores et amantes commendent; quare nec hanc poëmatum Secundi partem facile quis aequus lector hunc suum locum vindicasse inique feret.

NICOLAI EVERARDI] Merito agmen ducit egregium hoc et clarissimarum sententiarum plenum carmen in obitum nobilissimi viri, Nicolai Everardi, gentis Nicolaiae conditoris, de quo plura diximus in dissertatione p. IV. e qua illud meminisse sufficiat, mortuum cum esse absente in Gallia filio Iano.

Et condensatae ruperunt claustra querelae
Pectoris angusti: nunc, dum licet, ite per auras
Clamoresque graves, et feminei singultus,
Sublimisque meo pulsetur regia questu,
Agnoscantque suum fatalia sidera crimen;
Palleat et Phoebus, nigrescat et ignea Phoebe,
Stellaque nulla vago lucem depellat Olympo;
Nox tenebris incincta caput nigrantibus adsit;
Mors tenebris longoque oculos immersa sopore,
Quidquid et observat nigra limina flebilis Orci,
Ante meos oculos pallentia proferat ora.

Ad-

v. 1. *Ilicet, iuvenit vox interclusa meatum*] Est aliquod doloris lenimen fundere lacrymas, et suspiriis atque questibus pectus laxare, unde illud Claudiani II. in Rufin. v. 87.

Nam miseris nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet.

Verum non raro etiam ipsius doloris magnitudo vocem comprimit, sistitque lacrymas, quae non nisi post aliquod tempus viam inveniunt. Virg. Aen. XI. v. 151.

Et via vix tandem voci laxata dolore est.

Statius Theb. V. 616.

——— *Tandem laxata dolore*
Vox invenit iter.

et ibid. v. 593.

——— *Non verba in funere prima,*
Non lacrymas habet.

Ad q. l. alia congessit Barthius. Suaviter quoque de hac re disserit Montaigne Essais L. I. c. 1.

V. 3. *Et condensatae* cet.] Sic L. I. epist. 9. v. 11.

Tristia multa meo sub pectore condensabam.

Adspiciam cunctos hodierna nocte dolentes;
Adspiciam nullos ridentes luce sequenti;
Non levis occurrat sponsae placiturus amatae
Purpureus iuvenis, nec comta puella marito;
Omnibus in vicis mihi se pullata caterva
Offerat, infelici humeros onerata feretro;
Quos circum nigra frontem velata cupressu
Funereas plebs tota faces per compita quasset.
Huc veniant lacrymae, Niobe quibus obruta mater
Non abstergendas tulit in nova marmora guttas;
Huc veniant gemitus, gelidus quos audiit olim
Haemus, et indoluit vidui bis sorte mariti;
Quosque graves planctus per et aethera fudit et aequor
Coniugis agnoscens, at non sic exspectati,
Pallidulum cano quassatum gurgite corpus
Flebilis Halcyone plumis tectura dolorem;
Et quoscumque sonos infelicissima Progne
Vel dedit audita crudeli morte sororis,
Vel cum tam misere superesse videbat eandem;
Et quidquid Priamus lacrymaverat Hectore fuso;
Et quidquid Priamo caeso Priameïa coniux,
Proruat huc geminetque meo de vulnere vires:
Quaeque meis lacrymis nondum maduere sepulcra,
Ca-

v. 14. *Adspiciam cunctos hodierna nocte dolentes.*] Contra in re laeta Propert. III. 8. v. 7. quem hic imitatur:

Adspiciam nullos hodierna luce dolentes.

Vide ad Lib. I. epist. 9. v. 89.

v. 36. *Quaeque meis lacrymis nondum maduere sepulcra.*] Gra-

dius

Cara sepulcra, sepulcra patris moestissima cari,
Nec nostras habuere rosas, nec olentia serta,
Has voces, has accipiant de gente remota
Luctisonas voces, quas et Nabatheius Eurus,
Frigida flabra movens orientis conscia solis
Audiat, et Zephyrus declivi sole tepescens,
Quaeque iacet Phoebi tellus ignota quadrigae,
Suspirentque meis longinquae fletibus aurae.
Haec, pater infelix, haec subsidentibus annis
Praemia debebas operosae sumere vitae?
Fas erat emensis agitati fluctibus aevi
Tranquillo in portu corpus componere fessum,
Et laetam positis curis evolvere vitam,
Quae nunc vecta procul Letheas nuda per undas,
Ingemit humani molimina vana laboris.
Forsitan atqũe animas si quas redeuntibus annis
Fata iubent iterum superas evadere ad auras,
Consuetoque novum moderari flamine corpus,
Admonet, ut curis numquam innectantur amaris,
Sera neque extendant in longam vota senectam.
Tune igitur loca pallida, tu squalentia regna,
Ignavique nigrum Cocyti litus oberras?
Nec virtus tua, care pater, tibi profuit uni?
Nec pietas, iustique amor inconcussus et aequi?

Quin

dius frater, qui simul cum nostro in Gallia tum absens erat, L. II. el. 4.
Et sancti manes, nec visa sepulcra parentis.
v. 59. ss. *Nec virtus tua* cet.] Horat. IV. 7. v. 13.

Quin iter obscurum fatis urgentibus ires,
Et natis miseris et multum flente marita,
Et populo indignante, et suspirante senatu.
Nos, pietate tua studiisque fidelibus orbi,
Taedia desertae traheremur in aspera vitae;
Qualiter implumes celsa super arbore pulli

Amis-

Cum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Virg. II. Aen. v. 429.

Nec te tua plurima, Pantheu,
Labentem pietàs, nec Apollinis infula texit.

quae est imitatio Homeri Il. I. v. 28.

Μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον, καὶ στέμμα θεοῖο.

Fusius hoc persequitur Augustin. Favoritus Sept. Ill. vir. poëm. p. 89. de morte Rondinini:

Non tua te pietas, non culta altaria, non te
Candida mens animi, aut doctae facundia linguae,
Non vis ingenii praestans, et ducta per omnes
Ingenuas artes leto subduxit acerbo,
Cum gentem innumeram, telluris inutile pondus,
Non nisi post seram mactet Libitinà senectam.

Hanc solemnem querelam in proverbium abiisse observat Wyttenb. in notis ad Vit. Ruhnkenii p. 289. At sapienter Tullius V. 2. *Est autem unus dies, et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.* Quibus consentiunt illa Senecae Ep. 78. *Nam, ut ait Posidonius, unus dies hominum eruditiorum plus patet, quam imperiti longissima aetas.* Contra statuit Lucian. in epigrammate εἰς μικρὸν βίον, Anth. Gr. I. 23. ep. 8.

Τοῖσι μὲν εὖ πράττουσι πᾶς ὁ βίος βραχύς ἐστι.
Τοῖς δὲ κακῶς μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος.

Sed hic respectu aliorum, ille ipsius hominis boni intelligunt.

v. 66. *Qualiter implumes* cet.] Imaginem Homericam Odyss. XV. v. 217. et Virgilianam Georg. IV. v. 511. suaviter admo-

dum

Amissum trepidante parentem voce requirunt,
Quem dum pauca suis pro pullis grana legebat,
Agricolae rigidi telum confixit in herba:
Flent illi, tenuique sono loca frondea complent,
Si qua exspectatum videant revolare parentem.
Felices illi, quia numquam certa videbunt
Signa necis patriae: nos cogimur omnia scire;
Et nobis homines, et nobis muta papyrus,
Et nocturna malum funestum somnia narrant.
Si tamen est aliquid, quod de tellure sepultis
Fertur, et antiqui non fingunt omnia vates,
Innocuaeque animae mundo meliore fruuntur
Colle sub Elysio, vel si quid amoenius illo est,
Inter odoratas laurus ad flumina sancta,
Sole sub ambiguo traducis in otia laetos
Lenta dies, neque nocte umquam, neque nube tegendos,

Et

dum disponit et in suum usum convertit. Conf. et Oda VI. v. 13.

v. 76. *Si tamen est aliquid, quod de tellure sepultis Fertur.*] Ovidius de Tibullo:

Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit.

Seneca Epist. 78. *Veniet aliquod tempus, quod nos iterum iungat ac misceat: quantumlibet sit illud, longum faciet scientia utendi.* Claudian. IV Cons. Honor. v. 234. de anima:

Haec sola manet, bustoque superstes Evolat.

v. 80. *Inter odoratas laurus*] Adhaeret Virg. VI. Aen. v. 658.

——— *Laetumque choro Paeana canentes*
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis. Burm.

Et quocumque moves gressus, tibi totus eunti
Adsurgit late populus, tibi magnus eunti
It comes, Elysia redimitus tempora quercu,
Iustus Aristides, teque in loca devia ducit
Manibus ignorata novis, ubi florida tellus
Felices Zephyros meliori adspirat odore,
Flumina qua liquidi septem flaventia mellis,
Et totidem nivei labuntur flumina lactis,
Luxuriantis opus naturae, ubi porticus arcu
Innumero frondens trunco dependet ab uno
Ordinibus paribus, media consurgit in umbra
Arbor Taenariae speciem mentita columnae,
Summa operis pulcri; terramque cacumine pungit
Implicito, adnectitque comam radicibus imis
Diffusis late per opaci iugera campi,
Et circum labyrintheos curvatur in orbes,

Flo-

v. 84. *Adsurgit late populus.*] Simile quid habuimus Basio II. v. 27. qui totus locus est conferendus. Videtur autem in sequentibus ob oculos habuisse Homerica Odyss. IV. v. 564. ubi de campo Elysio:

——————— ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς,
Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
Οὐ νιφετὸς, οὔτ᾽ ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ᾽ ὄμβρος,
Ἀλλ᾽ αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Elysii campi aliquot descriptiones collegimus ad Relandi Galat. El. XIII. in fine; quibus addantur Aeschines Socraticus Dial. III. c. 20. p. 115. edit. Clerici; Lucianus Ἀληθοῦς ἱστορίας Lib. II. et Nic. Grudius L. II. el 2. fin.

v. 94. *Arbor Taenariae speciem mentita columnae.*] Nigri adeo coloris, et pariundi facultatem habens, quae lapidis Taenarii natura esse creditur. Plin. XXXVI. s. 29.

Floribus et variis, et pomo multicolore,
Et virides ramos plumis distincta volucrum,
Mulcentum liquidis puram concentibus auram.
Illic heroës, proles invicta Deorum,
Et qui magnanimae virtutis castra secuti,
Heroum per facta alacres ivere, Deûmque
Frondosis tecti cameris spatiantur, et artes
Exercent, vitae memores in secula priscae,
Et veteres renovant curas, veteresque labores,
Curarum immunes, onerosorumque laborum.
Obvius ingredienti omnis ruit agmine longo
Coetus, et antiquis socium te manibus addunt,
Manibus antiquis, qui ius coluere fidemque,
Tunc cum sola sibi merces pulcherrima virtus
Es-

v. 107. *Renovans curas.*] Minus aptum vocabulum, nam *curarum* immunes esse dicuntur.

v. 109. *Obvius ingredienti* cet.] De toto hoc loco conferantur Burmanni notae ad Lotich. L. IV. el. 4. v. 174.

v. 112. *Sola sibi merces pulcherrima virtus.*] Hanc Stoicorum sententiam expressit etiam Ovid. II. ex P. 3 v. 34.

Te, nihil ex facto, nisi non peccasse ferentem,
Sponte sua probitas officiumque iuvant.
Iudice te mercede caret, per seque petenda est,
Externis virtus incomitata bonis.

Moderantur eam paulo Panaetius et Posidonius, dicentes non αὐτάρκη esse virtutem, ἀλλὰ χρείαν εἶναι καὶ ὑγιείας, καὶ ἰσχύος, καὶ χορηγίας. Et eorum exemplo Silius XIII. v. 363.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces,
Dulce tamen venit ad manes, cum gloria vitae
Durat apud superos, nec edunt oblivia laudem.

De utilitate ab honesto non seiungenda vide Cic. III. de Off. 18. Tusc. II. 25.

Esset, et utilitas numquam certasset honesto.
Cumque Solone suo te Graecia, cumque Lycurgo,
Cumque Numa veteri Latium veneratur, et Anco.
Quid tamen haec prosunt (quamquam tamen haec quoque prosunt,
Et lacrymis nostris cursum tua gaudia sistunt.)
Si numquam posthac tete, Pater, adspiciemus?
Visuri in gelido tantum tua nomina saxo,
Cum nos ad patrios fortuna reduxerit agros,
Ingratos agros, ubi te, carissime rerum,
Cernere non liceat; ubi magni membra parentis
Occulit exigua tellus iniusta caverna;
Mater ubi longo tabescit saucia luctu,
Turgentesque oculos in flumina salsa resolvit,
Fumantes in aquas nix ut nocturna residit,
Cynthius afflavit quam sidere matutino;
Frater ubi, et scissis moerens germana capillis,
Udaque frigidulis singultibus ora fatigant.
At, si fata sinent, tamen ibimus, ibimus illuc,
Cernemusque lares, quibus, heu, quibus optimus ille
Extremae moriens submisit lumina nocti;
Visemus tumulum, et tumulo sua dona feremus,
Ter-

v. 133. *Visemus tumulum* cet.] Videtur poëta in seqq. respicere Feralia Romanorum, quae describit Ovid. Fast. II. v. 533.

Est honor et tumulis. Animas placate paternas;
Parvaque in exstinctas munera ferte pyras.
Parva petunt manes; pietas pro divite grata est
Munere cet.

Conf. Virg. V. v. 77.

Tercentum tepidas thuris pro munere guttas,
Tercentum gemitus, tercentum tristia verba,
Pro violisque rosisque et pulvere suavis amomi,
Et sanctam magna ter voce vocabimus umbram.
Illa sacros lucos, et fortunata vireta
Divitis Elysii tunc laeta libensque relinquet,
Et pennis allapsa petet pernicibus urnam
Ipsa suam, ridensque sui ludibria busti,
Pauca adspirabit leni mihi verba susurro,
Demulcens curasque meas, et taedia luctus
Longa supervacui, placidaque ita voce loquetur:
Nate, meae nuper lenimen dulce senectae,
Et nuper mea cura, et nunc mea cura, beati
Si curare tamen possunt mortalia manes,
Quo mihi tot lacrymae? non has mea funera poscunt.
Poscunt illorum, quorum mors omnia finit.
Vixi, et nascenti dederant quam longa sorores
Stamina, maturo devolvit pollice Clotho:

Ip-

v. 137. *Et sanctam magna ter voce vocabimus umbram*] De hoc veterum more vidd. Feithius Antiq. Hom. L. 17. Hier. Columna ad Ennii fragm. p. 241. ed. Hesselii, et Broukh. ad Tib. I. 2. v. 45.

v. 148. *Quo mihi tot lacrymae.*] Contuli haec cum illis Lotichii L. I. Carm. 3. p. 408.

Non lacrymis hoc funus eget: solatia forsan
Talia plebeiis manibus esse solent. Burm.

v. 150. *Vixi, et nascenti* cet Virgilio adhaeret:

Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi.

Vide ad Anthol. Lat. T. II. p. 291. Burm.

Ipse meos annos vitae sine labe peregi,
Exiguumque mei tellus obscura recondit;
Cetera tam parva non compescuntur in urna:
Pars sed in aethereas sedes, natalia regna,
Cessit: pars famae niveae plaudentibus alis
Ingenti vehitur ventura in secla triumpho.
Quoque magis vario vita est mihi ducta labore,
Hoc magis elucet fatis exercita virtus.
Namque ubi (fabor enim, si sic tua forte leventur
Vulnera) post primos aevi iuvenilis honores,
Principis invicti dono pars una Senatus
Ipse forem Magni, cuius sub legibus olim
Antiquae Belgarum urbes, populique potentes
Submissi, iustumque colunt, aequumque tuentur,
Continuo Batavas Praeses dimittor ad urbes,
Effrenes populos, qui tunc vix ulla tenebant
Foedera iustitiae, sed vi, sed caede cruenta
In commune malum contemta lege ruebant,
Mutua civili miscentes vulnera bello.
Quae mala non illic, quae non discrimina sensi,
Improba dum meditor confringere facta potentum

No-

v. 162. *Senatus Magni*] Macliniensis.

v. 166. *Batavas Praeses dimittor ad urbes.*] Curiae Hollandicae, quae erat Hagae Comitum. Latius haec alibi a nobis exposita sunt.

v. 167. *Effrenes populos.*] Notum ex historia, iam tum in urbibus Hollandicis tumultus exortos fuisse. De eiusmodi tumultu, Hagae Comitum, circa id tempus, a. 1516, excitato vide Wagenarium Hist. Patr. T. IV. p. 447.

Attonitum nostro retulit de limine gressum
Indoluitque nocens, quod non minus integer essem.
Sic ego cum fidus domino consultor, et idem
Litibus implicitis iudex aequissimus essem,
Pauca mihi aggessi malesuadae pondera gazae.
Quod tamen aggessi multo pretiosius istis,
Innocuam famam vobis, nomenque relinquo,
Quod non una terat revolutis solibus aetas.
Vivite felices, et nostras ite per artes,
Naturaeque datum consumite legibus aevum.
Tempus erit, cum vos ater quoque pulvis habebit,
Vestraque cum nostris calcabunt ossa nepotes
Immemores, et de tam multis rara superstes
Litera nominibus trita evanescet in urna.
Interea speciem nostri tamen orbis habebit
In vobis (neque enim mea me praesagia fallunt,
Nec monitus ventosa meos decerpserit aura).
Quod si vos etiam tenuis fortuna sequetur,
Praemiaque accedent laudato parca labori,
Sic etiam similes non sit pudor esse parenti;
Magnarum ne forsan opum tam dira cupido
In diversa trahat sensim vestigia vitae
Ignaros, et dum similes non esse parenti
Una in re cupitis, similes non sitis in ulla.

v. 203. *Nostras ite per artes.*] *Ars* pro *virtute* positum ex intima est linguae Latinae cognitione. Notum illud Lucilii; *Ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla.*

II.

IN MORTEM MERCURINI A GATTINARIA CAROLI V IMPERATORIS MAGNI CANCELLARII.

Mercurius moritur. Quid? Maia natus? an ille,
Dignus qui Maia, qui Iove partus erat?
Quem sibi vult socium terrenus Iupiter olim,
Sive paret pacem, seu grave Martis opus?
Scilicet ille iacet. Quid non fata improba tentant?
Hei mihi, numinibus mors quoque dira venit.
Iam tibi fatalem praedico, Iupiter, horam,
Qua fratris venias hospes ad antra tui.

Tu.

IN MORTEM MERCURINI A GATTINARIA] *Mercurium Cattinarium* vocat Sleidanus, Comment. de statu Relig. et Reip. sub Carolo V. L. I. p. 26. Cardinalem factum fuisse a. 1529. patet ex eodem Sleidano L. VII. princ. In indice Stradae vocatur *Mercurinus Arboreus*, *Cardinalis Gattinaria*, *Caesaris Cancellarius*. Obiit a. 1530. Oeniponte, ibidemque sepultus. Ultimus Burgundiae Cancellarius successorem habuit Nicol. Perenottum Granvellanum: ita enim Pont. Heuterus L. X. Rer. Austriac. c. 5. p. 257. *Inde per Venetorum ditiones trans Alpes Oenipontem* (*Insprug Germani* vocant) *venit Carolus*, *ubi Mercurium Gatinarium Cardinalem*, *postremum Burgundiae Cancellarium*, *ac Consiliarium maxime intimum*, *morbo ereptum sepelivit*, *substituitque illi Nicolaum Perenottum*, *Granvellae dominum*, *natione Burgundum*, *qui Cancellarii*, *primique Consiliarii munere functus*, *titulo abstinuit.* Quibus eadem, sed Gattinarii nomine non expresso, narrat Auctor Chronic. Flandr. T. IV. p. 194. b. Burm.

Tu quoque nigranti vectus novus advena regno,
Phoebe, poëtarum Pieridumque decus,
Primus inadsueta pinges albedine regnum,
Quod moestum tenebris nox inamoena tegit.
Magna cohors dîvûm, tumulos urnasque parate,
Improba falcifera mors petit astra manu.

III.

MERCURINUS AD VIATOREM.

Disce sequi fatum, quicumque tenentia nostri
Nescio quid cineris marmora dura vides;
Disce sequi rectum, quicumque loquacia saxa
Ferre vides laudes per freta longa meas.

IV.

MARGARETAE AUSTRIAE MAXIMILIANI CAESARIS FILIAE EPITAPHIUM.

Caesaribus proavis, et Caesare clara nepote,
Margareta Austriaci sata semine Maxmiliani,

II;

MARGARETAE AUSTRIAE.] Margaretae nempe illius, quae Maximiliani I Imp., et Mariae Burgundae filia, Caroli V. amita, Belgii olim gubernatrix, et Margaretae Parmensis, filiae Caroli illegitimae, educatrix fuit. Vide de ea Stradam L. I. Bel. Belg. p. 37. P. Heuterum L. VIII. Rer. Austr. c. 13. Petr. Petitum in Chron. Gall. L. VII. init. et Hoynck a Papendr. in notis ad Viglii Epist. Select. XV. T. II. Anal. Belg. P. I. p. 41.
ubi

Illa ego, quae miti rexi moderamine Belgas,
Et per femineas percusso foedere dextras
Discordes populos tranquilla pace beavi,
Hic fato depressa cubo, tellusque tenebit
Nescio quid nostro de corpore pulveris atri.
Lustra decem vitae Lachesis vix neverat, et mox
Stamina Parca ferox fatalia rupit, iterque
Ire per obscurum nulli remeabile iussit.
At vos plebeo geniti de sanguine, quando
Ferrea nec nobis didicerunt fata, nec ullis
Parcere nominibus, patientius ite sub umbras.

ubi eam Macliniae d. 1. Dec. 1532. obiisse notat; sed d. 27. Nov. 1530. anno aet. 51 decessisse tradit Goudhoevius in Chron. Belg. p. 591. D. ult. Nov. 1530. ao Praefecturae XXIII. mortuam dicit auct. Chron. Flandr. T. IV. p. 195. Macliniae prid. Kal. Decembr. ao aet. 52 Gubernationis XXII. dicit P. Heuterus L. X. p. 239. Anno aet. 50 defunctam v. 8. indicat Secundus. Burm. Additum tamen *vix* non impedit, quo minus unum vel alterum annum supra decem lustra vivere potuerit.

v. 2. *Maxmiliani.*] Eandem crasin ingratam habet etiam infra Carm. XIX. v. 2.

v. 4. *Et per femineas* cet.] Innuit pacem, media hac Margaretha, inter Carolum V et Franciscum I, Franciae regem, Cameraci a. 1529. factam, quam celebrat Noster L. III. el. 8. ubi vide notas. Burm.

v. 11. *At vos plebeio geniti de sanguine* cet.] Imitatum haec esse Malherbam disces ex notis Menagii ad eius Poem. p. 341. Priora sunt e Catullo.

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam. Burm.

V.

V.

In eandem morientem.

Ergo nigra dies, et adest quoque flebilis hora,
Femina dia, tibi? nec mors diademata curat?
Ergo longa quies tibi iam properatur, et ista
Lumina perpetuis claudet nox una tenebris?
Nec pietas, nec sancta fides, nec nobile stemma,
Belgica nec Divos tellus miseranda movebit?
Scilicet hoc fuerit tumidae monuere quod undae,
Et terrae lacrymas suggesserit Amphitrite.
Illa orbanda sua Rectrice, orbanda parente,
Iam nunc in riguos meditatur abire liquores.
Parce piis lacrymis tellus, et parce querelis,
Nec mutari opta, quod stat fatalibus olim
Ignibus impressum, nullis revocabile votis.

v. 7. *Scilicet hoc fuerit tumidae monuere quod undae.*] Respicit, ut puto, ad ingentem illam diluvionem, quae locum habuit a. 1530. cuius memoriam Noster etiam servavit Silva II. ubi notas consule. Vide, an non hinc efficere possis, quo anno vere mortua sit Margaretha.

VI.

EPITAPHIUM PUELLAE CASTAE.

Mille procos habuit, contemsit mille Lycoris,
Pacta fides uni ne violata foret.
Uni fida viro cantetur mille poëtis,
Vivat et in canis incluta marmoribus.

VII.

NAENIA IN OBITUM DOCTISSIMI VIRI IACOBI VOLCARDI, BERGENSIS.

Ergone Volcardus tenues quoque cessit ad umbras,
Advena Lethaeum flebilis ad fluvium?
Regnaque Persephones vidit lugubria furvae;
Et rabiosa canis guttura tergemini?
Flectere nec potuit tetricas galeata Sorores,
Diva, secatrices vel cohibere manus?
Infernisque pium vatem prohibere tenebris,
Lentaque sub seram ducere fata diem?
Talia debuerat sancto dare praemia mystae,
Vertice de patrio quam saliisse ferunt.

De-

IN OBITUM IACOBI VOLCARDI.] Hoc Secundi Epicedium, et sequens Epitaphium memorat Val. Andreas Bibl. Belg. p. 435. ubi de Volcardo: *Vixit familiaris Ioanni Secundo, poëtae celeberrimi nominis, qui amico et praeceptori primis annis rapto Naeniam et Epitaphium lusit:* et iisdem verbis Ant. Sanderus L. II. de Scriptor. Flandriae p. 86. Volcardum vero Graece Latineque apprime doctum fuisse testantur, et scripsisse *De usu Eloquentiae in obeundis muneribus publicis oratione quodlibeticâ*, edita Antv. 1526. 4to. quam Lovanii dixit, dum illic versaretur cum Viglio Zuichemo (quem Hagae Comitis bonis literis instituerat) et nobilium liberos in studiis formaret. De Volcardo, et hoc I. Secundi Epicedio vide notas ad Viglii vitam in T. I. Analect. Belg. Hoynckii a Papendrecht p. 65. Burm.

Debuerat vati medicus succurrere Phoebus,
Si quid habent herbae, carmina si quid opis.
At non cura Deos hominum ulla remordet, et unam
Iustus et iniustus cogitur ire viam.
Et perstamus adhuc prece, thure, bidentibus, auro
Non audituros sollicitare Deos!
Nempe iacet raptus primis Iacobus in annis:
Heu, nova Belgarum gloria nempe iacet!
Et iam de sacro quid tandem corpore restat?
Ossa, cinis, pulvis, nomen inane, nihil.
Scilicet omne suos repetit, repetetque recursus,
Et gaudent reditu singula quaeque suo.

Ter-

v. 11. *Debuerat vati medicus succurrere Phoebus.*] Preclara Pantus Pansa Epicedio Molsae inter Carmina Poët. Ital. Toscani T. I. p. 56. ad Phoebum:

Molsa, tuus vates, Musarum gloria, Phoebe,
Occidit, ah pietas, ah pudor, ah facinus!
Dic ubi eras, cum tabificus consumeret artus
Morbus, et inficeret pectus, et ora lues?
Num quid in Aonia ludebas valle, madentem
Aut crinem aptabas dente citoriaco? cet.
I nunc et medicae inventorem dicier artis
Te iacta, et soli gramina nota tibi. Burm.

v. 21. *Scilicet omne suos repetit, repetetque recursus.*] Est imitatio Maximiani, vulgo Pseudo-Galli in Eleg. I. v. 122.

Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.

Statius II. Silv. 1. v. 102.

Ortus quidquid habet, finem timet, ibimus omnes,
Ibimus.

Terra tulit cunctos, cunctos quoque terra resolvit,
Mutat et in cineres, quod cinis ante fuit.
Nec iuvat in longas vitam traducere curas,
Pectore coelestes et penetrare domos,
Venturumque loqui, cantu pollere, vel herbis;
Artibus, heu, nullis mors remorata venit.
Illa manet servos, dites manet illa tyrannos;
Illa manet pueros, et manet illa senes.
Ergo age, qui legis haec, fati cape iura superbi,
Teque para tumulo mox moriture pari.
At tu, Musarum formator prime mearum,
Vivi, vale, tellus molliter ossa tegat.
Nos, quae sola manent pallentes munera manes,
Quos semel inferna navita vexit aqua,

Car-

Vide ad Anthol. Lat. T. II. p. 100, ubi similiter in Epitaphio veteri;

Vita subit coelum, corpus tellure tenetur:
Omnia sic repetunt iura locosque suos.

Burm. Hoc quidem mirari subit, Secundum, iuvenem ad omnia meliora natum, rarissime in his carminibus perpetuas istas de fatali lege moriendi querelas meliores spe vitae leniisse, et fere delabi ad Epicureorum sordes. Sed eiusmodi erat tum religionis Christianae status, ut non magnopere ille sanae mentis hominem caperet, sed facile animus, aetate ac seria meditatione nondum corroboratus, in alia omnia transiret. Religionis sensum in poëta nostro iuvene spirat oda ultima.

v. 29. *Illa manet servos, dites manet illa tyrannos.*] Auctor Consol ad Liviam v. 357.

Fata manent omnes: omnes exspectat avarus
Portitor; et turbae vix satis una ratis
Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

v. 36.

Carmina sculpemus memori longaeva sepulcro,
Quae tua de Stygia nomina valle trahant,
Carmina flebilibus lugubre sonantia chordis,
Carmina longinquus quae legat, et lacrymet.

v. 36. *Quos semel inferna navita vexit aqua.*] Propert. IV. 9. v. 5.

Quum semel infernas intrarunt funera sedes.

Imitatur autem illud Albinovani ad Livian. v. 428.

Non est revocabilis ulli,

Quem semel umbrifera navita lintre tulit. Burm.

VIII.

Eiusdem Epitaphium.

Hospes, qui calcas loca tristia defunctorum;
Siste gradum, cineres hic Iăcobus habet,
Aspera quem fata, et nostro nimis invida seclo,
Non sunt maturos passa videre dies.
Volcardo cognomen erat; primordia vitae
Berga dedit, quo stas nunc habet ossa locus.
Quidquid Roma docet, quidquid docuistis, Athenae,
Noverat: obscurum non minus ivit iter.

v. 8. *Obscurum non minus ivit iter.*] Lege *num minus*, et vide quae notavi ad Lotich. L. V. el. 19. v. 123. Burm. Docet scilicet ibi formulam *num minus* in his protritae esse venustatis, et multis veterum locis restituendam, ubi *non minus* editur, sed Secundum non emendatas editiones esse secutum. Videant alii: ego nihil mutare ausus sum.

Illius ad tumulum Nymphae Parnassides udas
Effundant lacrymas, Pallas et ipsa gemat.
Illius ad tumulum succrescat Apollinis arbor,
Mixtaque cum violis lilia, cumque rosis.

v. 12. *Mixtaque cum violis lilia, cumque rosis.*] Vide quae notavi ad T. II. Anthol. Lat. p. 186. ubi similiter in elegantissimo Q. Caecilii Optati epitaphio:

Hic iacet Optatus, pietatis nobilis infans,
Cui precor ut cineres lilia sintque rosae.

Vide et supra ad L. III. el. 15. v. 23. Burm.

IX.

IACOBI PLATPAYS MORINI MUSICI IMPERATORIS CAROLI V. EPITAPHIUM.

Cui sors innocuo frustra quaesiverat hostem,
Armavit socias in mea fata manus.
Perfidus incauto ferrum demisit in armos,
Labentem solis destituitque locis.
Sanguine rorantes caedem lacrymantur olivae,
Sub quibus exspirans ultima verba dedi.
Et mea turmatim gemuerunt fata volucres,
Haec fuit una meae conscia turba necis.
Flete piae volucres: et nos quoque flevimus umbras,
Claraque sunt cantu multa sacella meo.

In-

IACOBI PLATPAYS MORINI EPITAPHIUM.] Hunc perfida alicuius manu interiisse carmen indicat. Carmini subscriptum est, factum perpatratum esse Montissonii in Arragonia.

Infantem tellus Morinûm nutrivit amoena:
  Arragonum montes sunt mihi pro tumulo.
Caesaris ante focos solemnia sacra peregi:
  Quam peterem moriens non fuit ara mihi.
Caeruleos sparsi fumos ante ora Deorum;
  Sanguine Styx late nunc rubet atra meo.
Tu quicumque cupis meliori occumbere fato,
  Suspectum Fidei nobile nomen habe.

X.

NAENIA IN OBITUM IOANNAE FONTANAE BITURICENSIS MATRONAE CLARISSIMAE.

Ipsa loquitur.

Muneribus quos terra suis dulcissima nutrit,
  Haec legite, (o quorum de grege nuper eram.)
Quae muti cineres alieno dicimus ore,
  Et semel humana discite lege mori.
Fidite nec formae, nec opes numerate, nec annos:
  Omnibus his poteram vincere: victa cado.
Nec, si longa graves circumdant atria cerae,
  Nec, si multa pia victima caesa manu est;
Nec, si plura sacras fragrarunt thura per aras;
  Nec, si artes vobis mille dedere Dei,

Lin-

In obitum Ioannae Fontanae.] De hac poëtria Gallica, in cuius honorem aliud exstat Nostri carmen, quae resciscere potuerim legas in nota ad Lib. III. el. 15. Huius naeniae inventionem poëticam Secundus debet Propertio suo, qui similiter Paulli uxorem Corneliam mortuam facit loquentem.

Linguaque contigerit quae possit flectere Ditem;
 Credite lanificas fallere posse Deas.
Talia si possent rigidas mollire Sorores,
 Nunc quoque, qua terimur, contereremus humum.
Non parvum in gelido gereremus marmore nomen;
 Nomine cum veteri quam male conveniens!
Nomen quod toties lacrymis gemituque sequetur
 Coniugis orbati nunc quoque magnus amor:
Unde prius visus carpebat, et omnia laeta,
 Melle quod Hyblaeo dulcius ante fuit.
Hei mihi, quem video longo raucescere questu,
 Tundentem gemina pectora moesta manu,
Horrentem impexisque comis, et vestibus atris,
 Manantem lacrymis insatiabilibus.
O dulcis coniux, sunt haec rata iura Deorum:
 Omnibus ad manes una eademque via est.
Ante tuos obitus sibi me Libitina sacravit:
 Hoc est, quod Superos saepe precata fui.
Me tibi fles raptam? gaude posuisse dolores.
 Clade cita perii? sum cruciata minus.
Non ego tergemini canis indignantia rostra
 Vidi, non oculos terruit Hydra meos.

Moe-

v. 14. *Qua terimur*] Genuinam hanc lectionem revocavimus ex editione Trajectina. In duabus ultimis Scriverii editt. est *tegimur*.

v. 31. *Non ego tergemini* cet.] Pulcre veteres hac in re, Statium, Propertium aliosque imitatum esse Secundum, patebit ex illis, quae notavi ad T. II. Anthol. Lat. p. 18. ubi similia habes in elegantissimo Epitaphio:

Non

Moenia non hic sunt triplici circumdata muro,
Flammanti Phlegeton quae ruber ambit aqua.
Saxa, rotae, scopuli, fugientia flumina, vultur;
Tale nihil noster mitior orbis habet.
Blanda quies habitat, et longis otia festis,
Et pax Palladia fronde revincta caput.
Hinc curas hominum tot despectamus inanes,
Et mixta alternis gaudia falsa malis.
Hinc tumuli ridere mei ludibria possum,
Ille foret vestrae ni pietatis opus.
Tu facis obscura ne putrescamus in urna,
Inscribens querulis clara sepulcra notis;
Quae tam concordes longum testantia flammas,
Diffundant titulos in nova secla meos.
Pro quibus officiis longam tibi numina vitam,
Et vacuam curis dent, vacuamque metu.
Ne tenerae soboli geminent tua funera luctum,
Quorum onus in patrio nunc iacet omne sinu.

Ast

Non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas,
Non Acheronteis transvehar umbra vadis.
Non ego caeruleam remo sulcabo paludem;
Nec te terribilem fronte timebo, Charon. Burm.

v. 47. *Pro quibus officiis*] Vide ad Priapeia T. II. Anthol. Lat. p. 558. Burm. Solemnis et elegans locutio, minime tentanda a Burmanno patruo in Ovidii loco II. Amor. 8. v. 21.

Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende.

Conf. Burm. ad Lotichii illud L. III. el. 9. v. 15.

Pro quibus officiis haeres abeuntis amici
Accipe fortunae munera parva meae.

v. 50. *Quorum onus in patrio nunc iacet omne sinu.*] Nullus du-

Ast ubi sera dies fatalem vexerit horam,
Quae solvat vinclis te quoque corporeis,
Laetus in Elysia mecum spatiabere ripa,
Qua lauri vitreas lucus inumbrat aquas.

bito Secundum in animo habuisse illa Corneliae apud Propert. L. IV. el. ult. v. 71.

Fungere maternis vicibus, pater, illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adiice matris,
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.

Burm. Quo tamen loco pro *turba* legendum esse arbitror *cura*.

X I.

Eiusdem Epitaphium.

Hospes, Ioannae hoc Fontanae habet ossa sepulcrum,
Hanc Venus et Iuno flent simul, et Charites.
Matronale decus Iuno, Venus aurea formam,
Illius extinctam flent Charites charitem.
Nobilitatem et opes ab origine duxit avita,
Virtutem variam mens generosa dedit.
Splendida de puro gestabat nomina fonte,
Qui, puto, Pegaseo de pede fudit aquam.
Pectora crystallo pellucidiora gerebat:
Noverat et quicquid Franca Poësis habet.
Docta melos digitis, liquido seu fundere cantu,
Quale canit dulci gutture serus olor.
Non ignara iocos, et non ignara choreas,
Docta loqui blandum, sed mage docta fidem:
Mo-

Moribus his visa est dignissima coniuge, cuius
Saepe tulit facilem regia charta manum.
Nupta cui primo viridantis flore sub aevi,
Enixa est socii pignora quinque tori;
Cum quo communi partita est omnia fato,
Forsitan et cuperet nunc quoque flere simul,
Mitius ut ferret divisos ille dolores,
Inconsolandos qui modo dat gemitus.
At vos mortales, quorum non laeserat ullum,
Ferte rosas illi, quae rosa nuper erat.

XII.

HIERONYMI MORESINI MEDIOLANENSIS,
Biturigibus in lacum una cum equo, cui insidebat, demersi,
EPITAPHIUM.

Hac Moresinus habet cineres Hieronymus urna,
Moenia qui voluit dum peregrina sequi,
Nomen ut acciperet a vulgi nomine dispar,
Ausonidum dulci de regione procul;
Mersit in obscoena iuvenilia vota palude,
Perque necatrices ad Styga navit aquas.
At

HIERONYMI MORESINI EPITAPHIUM.] In eundem est epigramma 69. Lib. I. Eidem epitaphium scripsit Hadr. Marius Poëm. p. 45. Burm.

v. 6. *Necatrices — aquas.*] Amat has vocabulorum formas haud admodum Latinas inprimis Secundus, *secatrices*, *precatrices manus*, *natatrices Naiades*, cet.

At tu, qui transis, umbrae iace verba silenti,
Qualia vis cineri sera venire tuo.

v. 7. *Umbrae iace verba silenti.*] E Propertio L. II. 1. v. 87. *Taliaque illacrymans mutae iace verba favillae.* Burm.

XIII.

FORMOSI IUVENIS HEDUI, IMP. CAROLI V POCILLATORIS EPITAPHIUM.

Marmorea iuvenem facie croceoque capillo
Miscentem nostro pocula casta Iovi,
Iupiter, aetherias cur, invide, tollis ad arces?
Quod puer Iliacus, non erit iste tibi.
5 Ulta tuum melius numquam Saturnia crimen;
Formosum thalamis inferet ipsa suis.

v. ult. *Formosum thalamis inferet ipsa suis.*] Elegans et ad veterum poëtarum genium fictio, qua iuvenem hunc formosum suis thalamis Iunonem vindicaturam dicit, ut Iovi pro amore in Ganymedem vices redderet. Hoc multis Graecorum et Latinorum poëtarum locis illustravi ad T. II. Anthol. Lat. p. 87 et 211. Burm.

XIV.

XIV.

EPITAPHIUM PETRI EVERARDI, MONACHI, FRATRIS OPTIMI.

Nobilis et Legum titulis et Praeside patre,
Molliter exactis vitae viridantibus annis
Aestas occiduum dum fervida tangeret aevum,
Petrus ego hic iaceo. Non me plorate sepultum:
Tunc plorandus eram, cum me vis invida sortis
Lugubri iuvenem fato, quo lenius hoc est,
Involvit, claroque viam praeclusit honori.
Venimus ad metam, (lacrymis haec dicite vestris
O, quicunque meo lugetis funere moesti)
Nascenti leges quam praefixère Deorum.
Vivite felices, nec me duxisse dolete
Tempus in hoc vitam, quod pertransire negarat
Fatorum series, coelique volubilis ordo.

Epitaphium Petri Everardi.] De hoc Petro Hieronymo, Secundi fratre, qui Abbas fuit Abbatiae Mediodurgensis, vide Dissert. p. VIII.

v. 6. *Quo lenius*] Hoc e melioribus libris dedimus, pro *lentius*, quod male Scriverianas editt. occupavit.

XV.

EPITAPHIUM FAUSTINI.

Ferventi Veneris Faustinus ab igne perustus
Hic iacet, et tecto stillantes excipit undas,

Quae vel inextinctas sedent post funera flammas.
Tu quicunque pares sensisti forte favillas
Hospes, et ista legis, dic: molliter ossa quiescant,
Nullaque sentiscant onerosae pondera terrae.

XVI.

EPITAPHIUM.
MICHAELIS SENIS.

Quem cernis, numerosâ unus de plebe Michaël,
Extremo in vico pueros elementa docebam:
Insuper, aedilis complures pervigil annos
Sacram Christiparae servabam Virginis aedem.
Ignotam ignotus duxi sine crimine vitam.
Dum prope tricenos ageret ter Cynthius orbes,
Ignotus moriturus eram, sed noluit illud
Quisquis erat plastes, nostri studiosus opinor,
Qui vultus formam rari miratus, et ausus
Tentare ignotam digitis renuentibus artem,
Os, oculos, frontem, nasum, rugasque seniles,
Adsuetosque habitus, argilla duxit ab uda,
Meque hic spectandum seclo posuit venturo,
Exemplum viridis bene portataeque senectae.
At tu, qui transis, dic saltem: molliter huius
Ossa cubent, nullaque gravi tellure premantur.

v. 8. *Quisquis erat plastes.*] Ipse scilicet noster Secundus miratus viri vultum nobilem finxerat.

XVII.

EPITAPHIUM MENELAI CUIUSDAM.

Inter opus medium lasciva morte solutus,
Hic situs est, et init iam Menelaus humum:
Qui blandae Veneri vitae sacraverat annos,
Haud aliter vitam ponere dignus erat.

v. ult. *Haud aliter vitam ponere dignus erat.*] Imitatio Ovidii II. Amor. 10. v. ult.

Cum moriar medium solvar et inter opus.
Atque aliquis nostro lacrymans in funere dicat:
Conveniens vitae mors fuit ista suae.

Sic quoque Laïs ἀπέθανε βινουμένη, teste Philetaero apud Athenaeum L. XIII. p. 587. Alia dabunt Broukh. ad Prop. II. 7. v. 98. et Burm. ad eund. l. 6. v. 26. quos citasse sufficiat.

XVIII.

EPITAPHIUM HENRICI DUYSTII, DELFENSIS.

Hunc tumulum nati caro posuere parenti,
Pro patriis curis, pro dulci munere lucis;
Lugubresque notas tristi inscripsere sepulcro.
Hoc tumulo Henricus servat sua Duystius ossa:
Illum flent quicumque colunt iustumque piumque;
Delfica praecipue tellus, primordia vitae
Quae

EPITAPHIUM HENR. DUYSTII.] Fuisse virum quemdam divitem, pietatis laude florentem, inprimis erga pauperes liberalem, quorum in gratiam hospitium instituerit, ex hoc carmine liquet. Num et hodie hospitium illud Delfis supersit, dicere non ausim.

Quae dedit, officiumque experta est cuius abunde:
Sed longe ante alios illum deplorat egena
Turba hominum, illius nutriti largiter aere.
Viventum namque is iuxta vitaeque sequentum
Prospiciens hominum, quos indiga fata morantur,
Corpora multa suis opibus per secula pavit.
Illum igitur Rex coelicolûm pro talibus actis
Felicem vocet ad nitidi templa ardua coeli,
Pax ubi laeta habitat nullis obnoxia curis.

XIX.

EPITAPHIUM CLARISSIMAE MATRONAE FRANCISCAE AB HARO, UXORIS MAXIMILIANI TRANSSYLVANI.

Hoc saxo Francisca tegor, quae stemmatis Hari
Coniugio felix, Maxmiliane, tuo
Transsylvane fui, potui cui nupta placere.
Quis fuerit genitor, quaeris? Iberus erat.
Belga fuit genitrix: lustris vix quinque peractis
Egit in ignotas me fera Parca vias.

EPITAPHIUM FRANCISCAE AB HARO.] Num fortasse ab hujus patre fluxit nobilissima gens Harenia (*de van Harens*)? An haec dicta fuit *van Haar* sive *ter Haar*? *Maximilianum Transsylvanum* habuimus etiam Lib. I. epigr. 45.

XX.

XX.

Aliud.

Heus, hospes, heus, qui negligenter praeteris
(Sortis memor fortasse non satis tuae)
Loca haec sopori destinata mortuûm,
Sta, donec hic quae dormiat cognoveris,
Francisca claris clarior parentibus,
Virtute, castitate, moribus probis,
Bonisque, quae vere beant, clarissima,
Formam cui suae parem dederat Venus,
Terra sub ista nescio quid pulveris
Habet vetusti, et obsoleti et putridi.
Heu fata, saevis saeviora tigribus,
Num sic decebat, obsecro vos, ut prius
Quam se videret vivere, et lustrum satis
Quintum peregisset, nigrantem regiam
Proserpinae subiret intractabilis,
Illa, illa longis digna seclis vivere?
Et nunc maritus heu misellus in toro
Vacuo gemens, lugensque, et incusans Deos,
Frustra suam desideraret turturem?

XXI.

IN OBITUM ORNATISSIMI ADOLESCENTIS CAROLI SUCQUETI, FLANDRI IURECONSULTI EXIMII, NAENIA.

Tristia defleram mendacis nuncia fati,
    Sucqueti miseram quae retulere necem.
Idem veracis deflebo nuncia fati:
    Di facerent, labor hic vanus, ut ille, foret!

Et

IN OBITUM CAROLI SUCQUETI.] Hunc I. Secundi lessum in mortem C. Sucqueti innuit Val. Andreas Bibl. Belg. p. 127. ubi de C. Sucqueto agit, quem Antonio Sucqueto, Carolo V a secretis, genitum, Biturigibus in Gallia doctorem nactum fuisse Andr. Alciatum, et purioris iurisprudentiae ac literaturae cognitione excelluisse, deinde Taurini in Gallia subalpina publice iura interpretatum fuisse notat, sed praematura morte exstinctum, nondum adolescentiae annos egressum, et de *Interdictis* librum scripsisse, editum Taurini. Ad eundem hunc Sucquetum exstat Secundi nostri carmen supra Lib. I. epist. 6. et Lib. II. epist. 4. Fuit coniunctissimus Viglii Zuichemi sodalis, in cuius epistolis multa Caroli, et patris eius Antonii Sucqueti mentio honorifica est. Vide Hoynckii a Papendr. notas ad vitam Viglii T. I. Analect. Belg. p. 74. Apud Biturigas, et dein Taurini summa cum laude ius docuisse patet ex Viglii epistolis eodem in opere editis T. II. P. I. p. 28. Vide etiam Viglii epistolam 16 ad ipsum Car. Sucquetum scriptam, et notas ei subiectas. Epistolam de morte Caroli consolatoriam fratri eius Antonio scribit idem Viglius Epist. 17. eiusque obitum acerbe deplorat Epist. 35. Plura de Sucqueto vide apud Anton. Sanderum de script. Flandr. L. I. p. 34. ubi hoc ipsum Secundi epicedium adiecit. Burm. Principium huius carminis respicit falsum iam prius de Sucqueti morte nuncium, de qua re vide L. II. epist. 4.

Et nostras iterum damnaret fama querelas,
Iret et in iustos irrita charta rogos!
Sed nimium veris rumoribus omnia constant:
Si qua venit toties fama, timenda venit.
Dic puer, anne aliquis letum perscripsit acerbum?
Et si aliquis, quisnam, dic, age, quoque modo.
Litera lugubri Taurina venit ab urbe,
Ah dolor! et fidae sunt quoque signa manus.
Quisquis es, o vellem scriptor mendacior esses:
Hoc melius, quam quod sic moreretur, erat;
Sic moreretur amor Charitumque novemque Dearum,
Astreae veteris sic moreretur amor;
Iret et in cineres, tabumque liquesceret atrum,
Quo nihil in vitam venit amabilius:
Seu circumfusae sublimia iura caetervae
Dictaret, celsa conspicuus cathedra;
Nobile seu caneret facili testudine carmen,
Sive puellares duceret arte choros;
Sive suos inter dulcis conviva sodales
Mulceret variis fata propinqua modis.
Ergo fatali lex haec rata stat decreto,
Serviat ut nulli vita fugax domino;
Sed modo praeripiat, quem vix concesserat, usum,
Lenta modo effoeto in corpore desideat.

v. 8. *Si qua venit toties fama, timenda venit.*] Imitatur illud Ovidii Heroid. epist. V. v. 8.
Quae venit indignae poena, dolenda venit.
et epist. II. v. 72.
Quaecumque ex merito spes venit, aequa venit. Burm.

Sic vivunt homines, quos aegra senecta fatigat,
Improba nec possunt per sua vota mori.
Sic, Sucquete iaces, et dulci florida vere
Membra superiecta nempe teguntur humo;
Qualia, cum rigido pede conculcantur arantis,
Lilia foedantur quo viguere solo.
Nec frater muto persolvit iusta sepulcro,
Nec soror effusas praesecuitque comas:
Nec longe ante alios infelicissima mater
Lenivit morbi taedia longa tui:
Et cum supremae tetigit confinia metae,
Ore suo vitam carpsit ab ore tuo,

Lu-

v. 34. *Nec frater muto persolvit iusta sepulcro*] De perpetua hac apud vetustos et recentiores poëtas querela moribundorum et procul a consanguineis extremo hoc solatio destitutorum, vide quae contuli ad Lotich. Lib. II. el. 5. v. 77. Burm. Has lamentationes more suo ridet Lucianus libello περὶ Πένθους.

v. 36. *Nec soror effusas praesecuitque comas*] Tibull. I. 3. v. 5.

——— Non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa perusta sinus.
Non soror, Assyricos cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

De resectis capillis et mortuorum sepulcris apponi solitis satis omnia nota sunt.

v. 37. *Nec longe ante alios infelicissima mater*] E Tibullo III. 5. v. 93.

Et longe ante alias omnes mitissima mater.

Burm. Matris commemoratio in his efficaciae est summae, ut in illo Propert. de Paeti morte III. 5. v. 25.

Et mater non iusta piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Luminaque occlusit longo damnata sopore,
Et dixit morti: cur mihi tarda venis?
Tunc tempestive poteram migrare sub umbras,
Carus adhuc natus cum mihi salvus erat.
Ille suis manibus nostros clausisset ocellos,
Rorasset lacrymis et mea busta suis;
Mollibus et violis sparsisset triste feretrum,
Dixisset cineri verba suprema meo.
Talia non questa est genitrix in funere moesto,
Multa sed his queritur nunc graviora tamen.
Et vellet partus bona non sensisse beati,
Et vellet nato iam caruisse diu;
Et mallet coelebs, ut non foret orba, fuisse:
Nam mala respectu sunt graviora boni.
Te quoque credibile est opulentas, Flandria, glebas
Respersisse vagi fluctibus Oceani,
Ut fleres longe venerandi funus alumni,
Tollere qui poterat nomen in astra tuum.
Mitte malas lacrymas, iam nunc tibi nomen ab illo,
Flandria, pars melior qua patet orbis, habes.

Tu

v. 42. *Et dixit morti: cur mihi tarda venis?*] Prop. II. 10. v. 50.

Diceret aut: o mors, cur mihi sera venis?

Maximianus Eleg. I. init.

Aemula quid finem cessas properare Senectus,
Cur et in hoc fesso corpore tarda venis?

v. 50. *Mula sed his.*] In Traiect. edit. et Paris. Duvallii est *iis*, quae crasis apud Propertium bis terve obvia est, sed semper initio versus. Cum vs. 55. conferantur dicta ad Carm. V. v. 7.

Tu modo, tu iuvenis vacuum compone sepulcrum,
In patriam manes et revocato pios.
At tumulo in viridi, quam vivo laeta parabas,
Effundat castas laurus opaca comas;
Taleque perpetua caeletur carmen in urna:
Colle sub hoc nullus membra sepultus habet.
Hunc tibi vel tumulum posuit, Sucquete, vel aram,
Carole, sat felix Flandria te genito.
Gentibus Alpinis mortis concessit honorem:
Quisquis es, in longis disce pericla viis.

v. 61. *Vacuum compone sepulcrum*] Quod *Cenotaphium* veteres dixerunt, quale Hectori Andromache posuit. Virg Aen. I. v. 304. et quale illud Sichaei in Didonis aula.

v. 62. *Revocato pios.*] Contra morem veterum ultimam ā in *revocato* corripit.

v. 64. *Effundat.*] Hanc lectionem revocavi ex edit. Traiect. et sic quoque in MS. fuisse notaverat P. Francius. In Scriverianis est *effundas*. De arboribus in tumulo crescentibus vide ad Lib. III. el. 15. v. 23.

XXII.

EPITAPHIUM LUCII TABELLARII, IN VIA A LATRONIBUS OCCISI.

Et tumuli, et mortis sedem sortitus eandem,
Hac situs est, moriens quam rubefecit, humo
Nun-

EPITAPHIUM LUCII TABELLARII.] Hic longam scribere notam possem de auctore et titulo huius epitaphii. Scilicet in Itinere Gallico tradit Secundus, se haud procul ab Atrebato vidisse tumulum *Reynaldi nuncii Yperensis*, a latronibus ibi spolia-

Nuncius infelix, vita spoliatus et auro.
Securum vacuus carpe viator iter.

liati et interfecti, dum literas et numos et ad alios et ad se perferret, sibique tum excidisse hoc Epitaphium:

Hic situs est ubi caesus erat Reynaldus ad urbes
Gallorum a Flandris scripta numosque ferens.
Illi causa fuit aliena pecunia mortis,
Quam nisi post animam perdere non voluit.

Porro addit in eundem tunc etiam fratrem lusisse in hunc modum: *Et tumulum et mortis sedem — humum* cet. Iam prorsus in contrariam partem ultimum hoc carmen editum est inter Carmina ipsius Secundi parva mutatione, nec in Scriverianis tantum editionibus, sed et in Traiectina, quam Marius et Grudius fratre curarunt: prius vero, satis negligenter factum, quippe in quo prima syllaba in *numos* male corripitur, ultima in *fuit* producitur, quodque sibi vindicat Ianus, exstat inter Poëmata Marii p. 50. Tandem tabellarius ille hic *Reynaldus* vocatur, illic *Lucius*. Quid igitur? Mihi res non visa est tanti, ut multa argumenta conquirerem. Itaque secutus sum editiones, in Itinerario Secundum lapsu calami alterum pro altero posuisse ratus.

v. 4. *Securum vacuus carpe viator iter.*] Est ex antiquo epigrammate in Balistam, quod legitur in Catalectis T. I. Anth. Lat. p. 366.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus,
Nocte, die tutum carpe viator iter.

vid. ibid. p. 259. Burm.

XXIII.

EPITAPHIUM
DESIDERII ERASMI ROTERODAMENSIS.

Defunctus vita, longique laboribus aevi,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo.

Quem

Quem licet in sera rapuerunt fata senecta,
Et vitae saturum sopiit alta quies:
Nos tamen hunc, velut immaturo funere raptum,
Flemus, et effusis diffluimus lacrymis.
Ille igitur periit! et quondam illa, illa diserta,
Et dulci manans nectare, lingua tacet!
Ingeniumque sagax, et amor virtutis, et aequi,
Omnia sub parvo condita sunt tumulo!
Illum igitur canos Virtus lacerata capillos,
Et Charites lugent, luget et ipsa Fides;
Collectasque rosas Parnasi ad flumina Nymphae
Inspargunt sacro Pierides tumulo.

v. 1. *Defunctus vita* cet.] Secundum imitatur Broukh. L. IV. Epigr. p. 285. in funere I. Sixii:

Functus honoratis longi sudoribus aevi
Hic posuit fragiles Sixius exuvias. Burm.

X X I V.

EPITAPHIUM NICOLAI HACQUINI, ICTI, HENRICI VIII ANGLORUM REGIS AD CAROLUM V IMP. LEGATI.

Missus ad occiduos regis legatus Iberos,
Cuius caerulei venerantur sceptra Britanni,
Sicne iaces sicca Arragonum tumulatus arena,
Qua Barbastra vetus rapido iacet accola Cingae,
Hacquine, et legum studiis, et divite praestans
Eloquio, regisque decus patriaeque remotae!

At

v. 4. *Barbastra.*] Barbastrum oppidum est Arragoniae prope Cingam fluvium, hodie *Balbastro.*

At tibi rex reditum incolumem, dulcesque tuorum
Amplexus, senioque tuo tranquilla parabat
Otia, nec meritos non adiiciebat honores,
Auratoque pedo dextram, mitraque capillum
Exornans: sed fata deos superantia reges
Vota caduca tua, et domini fregere potentis:
Totque tibi exhaustos terraque marique labores,
Et studia, et varias artes, et inutile nomen,
Omnia tam parvo clauserunt dura sepulcro.
Est tamen, est aliquid, quod inertia busta relinquens
Aethereas longe vivax prorumpet in auras,
Evectum niveis famae per inania pennis.
Atque aliquis veniens longinquis hospes ab oris,
Marmor ab externa clarum venerabitur umbra;
Et dicet lacrymans: heu, non tibi debita tellus
Ista fuit; tenerisque rosis miscebit amomum,
Et nigras urnae violas, et lilia fundet,
Manibus et longam optabit cinerique quiètem.

v. 9. *Nec meritos non.*] *Nec non* ita separatum facit ambiguitatem, quae vereor ut veterum exemplo defendi possit.

v. 20. *Externa*] Hanc lectionem genuinam revocavi ex edit. Traiect. et MS. Scriverius perperam edidit *extrema.*

XXV.

EPITAPHIUM FRANCISCI VALESII, REGIS FRANCISCI FILII, DELPHINI FRANCIAE.

In spem nutritus regni, Francisce, potentis,
Saeva deos contra dum parat arma pater,
Occidis, heu, primo pubescens flore iuventae;
Et te cum vita spes tua deseruit.
Fortunate puer, non signa hostilia cernes,
Et posita in victo Martia castra solo,
Cum magnus Caesar, victor terraque marique,
Vastabit forti Gallica regna manu.
Illa manent patrem, quem ultricia fata reservant,
Ipse malis possit ut superesse suis.

EPITAPHIUM FRANCISCI VALESII.] In notis ad Lib. I. epigr. 25 et 26. vidimus nonnulla carmina Secundi a fratribus esse omissa, quod in principes quosdam acerbius dicta viderentur. Iam huc quoque pertinent, quae in hoc Funerum libro sequuntur usque ad finem, quaeque haud edita in editione Traiectina suae adiecit Scriverius ex chirographo antiquo ipsius poëtae. Hic liber MS. ex auctione Scriverii ad Francium pervenit; vide Editionum notitiam nostram No. VII. De huius Francisci Delfini morte vid. Thuanus Hist. I. 27.

XXVI.

NAENIA IN MORTEM THOMAE MORI.

Exstinctum flemus crudeli funere Morum,
Et regem inmanem, Veneremque cruore madentem,
Fortunaeque vices, et laesae pellicis iram.

Vos

NAENIA IN MORTEM THOMAE MORI.) Hoc epicedium sub *Erasmi* nomine Haganoae cum ineptiis quibusdam *Hieronymi Gebuilleri* glossis excusum est; ut ex Viglii ad Hadr. Maritum epistola notat Hoynckius a Papendrecht ad Viglii Epist. 85. T. II. Anal. Belg. P. I. p. 221. Vide Hadr. Marii epistolam ad Servatium Zassenum p. 341. edit. Scriver. De fato insignis huius viri Thomae Mori, Angliae Cancellarii, qui ab Henrico VIII, quia divortium eius cum Catharina regina, novasque pellicis, Annae Boleniae, nuptias probare abnuisset, securi percussus interiit d. 7. Iulii a. 1535. aet. 55. vide Pauli Iovii elogia LXXXIX. p. 209. et Erasmi Append. Epist. 378. p. 1763. ubi tota supplicii eius, ut et *Ioannis Fisheri*, Episcopi Roffensis, cuius in hoc carmine meminit Secundus v. 16. ss., tragica historia fuse narratur, ubi et de filia Mori *Margaretha*, patri, a satellitibus ad supplicium tracto ultimis amplexibus valedicente, ita ut ipsis crudelitatis ministris lacrymas pietate sua excuteret; cuius filiae laudes etiam hac Naenia celebrat Secundus v. 98. ss. Utriusque supplicium descripsit etiam Ant. Maria Gratianus libro de Casibus Viror. Illustr. p. 193. De Moro et indigna virtutis mercede hac funesta vide etiam vitam eius a Fichardo editam p. 112. Boissardum T. II. Iconum p. 121. Vossium L. III. de Histor. Lat. c. 13. A. Thevet Histoire des Hommes Illustres T. VII. Ch. 22. p. 213. Niceron Memoires T. XXV. p. 216. Pauli Freheri Theatr. Vir. Erud. P. II. Sect. 4. p. 813. Hist. Univ. Oxoniensis L. II. p. 358. ubi vitam Mori a Gul. Roper, filiae Margarethae marito, scriptam fuisse notatur. Memorabilia de hac viri calamitate sunt verba Vincentii Obsopoei in notis ad Anthol. Graec. L. III. p. 349. *Miserandus*

Vos mihi Pierides feralia carmina Musae
Dictate, et mecum vatem lugete peremtum,
Insignem cithara, qui vos persaepe solebat
Vertice ab Aonio molli deducere versu.
Tuque adeo mihi, Calliope, quae regia facta,
Et casus miserorum hominum cantare perita es,
Nec caedes exhorrescis memorare cruentas,
Dextera ades. Tu vero, Erato, tu, blanda Thalia,
Truncatum interea tumulo componite corpus,
Exsequias celebrate, adspergite floribus urnam,
Et tumulo castos adspiret laurus odores,
Sacrum laurigeri vatis complexa sepulcrum.
Te quoque deflerem, Divûm venerande sacerdos,
Roffensis praesul populi, qui dura subisti
Fata prior, sancta pro religione tuenda:
Sed vatem canimus vates; tua maxima facta
Vulgabunt alii, et praeclara volumina condent,
Attollentque tuum super aurea sidera nomen.

Tem-

Ille senex Thomas Morus haud dubie a pessimis Papistis in hoc exitium, quo absumtus est, inductus et praecipitatus. Heu, quanto satius fuisset huic divino viro his quietis, tranquillis, et tutis literarum studiis inservire, quae magna cum laude et studiosorum utilitate tractare potuisset, quam tantis tamque periculosis amplissimi regni negotiis semet implicare atque inmergere, unde pauci sine discrimine enatant; ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνυμενοί περ. *Documento sit hic vir philosophicis hominibus, aulas regum et principum parum esse aequas et benevolas, nisi quis per omnia iisdem scite attemperare noverit indulgendo, et adsentando, et approbando quaelibet; quod quam sapientis viri gravitatem et integritatem deceat, non valde quaeritur.* Burm.

Tempus erat mundi cum iam adventante ruina
Occideret senio iustum, et labefacta Deorum
Religio caderet, tot sustentata per annos,
Mortalesque fidem tota de mente fugassent:
At dolus et fastus, cumque impietate libido
Ambitioque, et livor edax, fulvi et sitis auri,
Grassantes late, qua sol sublimis utrumque
Adspicit Oceanum, geminas quoque adspicit Arctos,
Miscebantque profana sacris, et sacra profanis.
Tum Furiae ex imis Erebi emersere tenebris,
Sanguineas capitum quatientes undique cristas,
Armatae facibus, Phlegethonteoque veneno.
Nec mora; caeruleos subito petiere Britannos,
Fatorum gnarae: tempus namque adfore norant,
Cum rex Henricus, reiecto coniugis usu,
In vetitos rueret thalamos famosus adulter,
Atque alias taedas, alios celebrans Hymenaeos,
Mentis inops, regni indotatam in parte locaret
Vilem animam, et nullo maiorum stemmate fultam:
At regina prior, thalamis eiecta maritis,
Ingratum in lacrymis et luctu duceret aevum;
Illa quidem magni de sanguine Ferdinandi,
Primus qui Mauros regnis exegit avitis,

Quo

v. 43. *Ferdinandi.*] Catharina filia erat Ferdinandi Catholici, sed genus altius repetebat a Ferdinando I. Castiliae rege, cognomine Magni, qui seculo XI. Mauris plurimas urbes eripuit.

Quo numquam Hesperia regnasset maior in ora;
Ni sua progenies, maiori numine, Caesar,
Mundi sceptra tenens, titulos superasset avorum.
At postquam dirae subierunt regia tecta
Eumenides, tremuit tellus, et conscius aether
Horruit, Oceanus pater, et circumflua Tethys
Imis delituere vadis: rex ipse, maritus
Iam novus, in primis et adhuc complexibus haerens,
Extimuit facti poenas, iramque Deorum.
Illae autem ut videre novos celebrari Hymenaeos,
Gaudebant pariter Dirae, pariterque dolebant:
Crimine gaudebant, sed non auctoribus ipsis.
Patratum doluere nefas, nimiumque potentem
Et Venerem, et volucris tela indignantur Amoris.
Ergo aliud meditantur opus, dirumque frementes,
Pellicis insinuant atrum in praecordia virus,
Et stolido regi eripiunt mentemque animumque.
Ille scelus firmare suum maioribus ausis
Enitens, sceleri scelus adiicit, et contemtis
Pontificis summi monitis, (quibus ille iubebat
Eiiceret moecham, thalamique in iura vocaret
Legitimam uxorem, solitoque ornaret honore)
Ipse sibi ius Pontificis, nomenque sacratum,
Quam late sua regna patent, usurpat, et omnem
Sacrilegus veterem convellit religionem;
Et gravius peccat, ut non peccasse putetur.

Egre-

v. 70. *Et gravius peccat, ut non peccasse putetur.*] Sic scripta erat in MS., quod perperam Scriverius mutavit in: *ne non peccas.*

Egregia interea pellex quae gaudia sentit?
In quorum iugulos miserum non armat amorem?
Praecipue si quos probitas suspecta, et honesti
Prodit amor: More infelix, sic te tua virtus
Perdidit! o aevi scelus atque infamia nostri!
Tu regni decus, et regi carissimus idem
Consultor fueras, nec iudex aequior alter
Iura dabat: heu, qua pensant mercede laborem
Fata tibi! Poteras illaesam ducere vitam,
Sed minus esse probus. Vitae quam dura relicta
Conditio fuit insonti! si vera professus,
Fatalem exciperet cana cervice securim:

Sin

casse putetur: contra poëtae mentem, qui significare voluit Henricum sibi Pontificiam auctoritatem arrogasse, ut ea auctoritate priores nuptias velut iure dissolveret, ideoque gravius peccavit, ut non peccasse videretur. Hunc versum laudat Samuel Drusemius in notis ad Ioseph. Iscanum de Bello Troiano L. VI. v. 417.

——— Adulter
Dardanus imperio, post laesa cubilia saevum
Nil reputans. ———

» Ioan. Secundus in hanc sententiam *Et gravius* cet. Graecum » in illos proverbium γυμνῇ κεφαλῇ, quo utitur Chrysostomus » p. 724. Orat. de Babyla martyre. Vide similem γνώμην apud » eundem L. II. de Sacerdotio p. 37. ed. Hoeschelii." Sed et ille non satis adsecutus est Secundi mentem.

v. 79. *Poteras illaesam ducere vitam* cet.] Sponte hic in mentem veniunt illa Iuvenalis Sat. VIII. v. 81.

——— Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Sin vitam falsa vellet ratione tueri,
Applaudens stupris, infandaeque ambitioni,
Pollueret moresque suos, vitamque priorem,
Offensamque hominis, mutaret numinis iram.
Ille autem iustique tenax, cultorque Deorum,
Sponte sua ferro caput obtulit, et procumbens
Purpureum sacro fudit de pectore rivum.
Fortunate senex animi, tibi regia coeli
Tota patet, tibi Rex superûm victricia serta
Porrigit ipse manu, magno applaudente senatu
Coelicolum, et volucres recinunt paeana ministri,
Omnes intonsi, niveis in vestibus omnes,
Quales ad vitreum Maeandri flumen olores
Mille volant, plauduntque alis, et dulce canentes
Caeruleum nitidis praetexunt aethera pennis.
  Quis tibi tum sensus, moestissima Margarite,
Nata patris miseri? quanto tua lumina fletu
Undabant? quantos, heu heu, de pectore anhelo
Ducebas gemitus, corpus cum flebile patris
Exanimum adspiceres indigna caede peremti?
Nam te credibile est, quamquam patris incluta facta
Aeternam tibi conciliant famamque decusque,
Non potuisse oculos compescere tempore in illo,
Quin durum fleres casum, patrisque cruorem
Ablueres lacrymis, et circumfusa cadaver
Oscula pallidulo ferres moribunda parenti;
Tu tamen has aufer tenero de pectore curas,
Nec lacrymis corrumpe tuos, pulcherrima, vultus.

Sic

Sic te Phoebus amet, sic, o doctissima virgo,
Adiiciat numero te Calliopea sororum.
Interea truncum iacet et sine nomine corpus,
Spectaclum populo dirum: at polluta cruore
Canities, ne quid sceleris restaret inausum,
Neu tantos aetas nesciret sera furores,
Praefixa infami spectanda imponitur hasta;
Deformata tamen primum ferventibus undis,
Duceret informes donec cutis aspera rugas,
Labraque in horrendos traherentur lurida rictus,
Ne, quod Roffensi acciderat, suffusa rubore
Mortua vitalem praeferrent ora colorem,
Turbarentque pium rursus miracula vulgus.
Hocne tuae Veneri, rex o inceste, tropaeum
Erigis? et mollem placari sanguine divam
Posse putas? iras in te convertet acerbas
Ipsa Venus, vindexque tuos subvertet amores:
Atque aliis iterum, atque aliis tua pectora flammis
Uret, ut infamis veniant tibi taedia vitae.
Tunc memor indignae caedis, tua noxia facta
Flebis, et invisa sumes de pellice poenas.
Pellaeus iuvenis furiis agitatus, et ira

In-

v. 111. *Sic te Phoebus amet.*] Notum ex historia feminam fuisse non virilis tantum animi, quae patrem ad fortiter agendum exhortaretur, sed et literarum haud rudem.

v. 118. *Deformata ferventibus undis.*] Vides, ut etiam poëtae historiae prosint.

v. 128. *Atque aliis iterum* cet.] Quam vere haec vaticinatus est, quae tamen numquam ipse poëta vidit!

v. 132. *Pellaeus iuvenis*] Sic Alexandrum appellat etiam infra Silv. Lib. carm. I. v. 37.

Incandens, multoque animum inflammatus Iaccho,
Dilectum ante alios inter convivia Clitum
Transfodit ferro, et respersit sanguine mensas:
At postquam furor ille animi discussus, et omnis
Consumtus vini vapor est, mentemque recepit,
Ipse manus inferre sibi, sociumque per umbras
Velle sequi, et miseros incassum fundere questus.
Tresque adeo moestus soles, totidem quoque noctes
Exegit lacrymans, luctu confusus acerbo.
Nequidquam: neque enim luctu revocantur acerbo
Pallentes animae, quas per vada languida vexit
Portitor, atque avido traiectos tradidit orco.
Tu quoque dilectum frustra plorabis amicum,
Cum tibi discusso mens pura redibit amore.
Interea horrifica rumpet tua somnia forma
Umbra viri, multoque caput foedata cruore,
Quo te cumque feres, dira occursabit imago,
Supplicium saevis exposcens horrida factis.
Namque tuis donec regnis exutus, et exsul
Extremam implorabis opem, rerum omnium egenus,
Morus inultus erit: nulla est violentia longa:
Vin-

v. 153. *Nulla est violentia longa.*] Praeclare Seneca, aut quisquis fuerit auctor Tragoediarum Latinarum, Troad. Act. II. sc. 2.

Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant: quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere.

Vindictaeque moram poena graviore rependunt
Numina, iustitiam quorum haud effugerit ullus.
At nos aeternum tua tristia funera, More,
Insolabiliter deflebimus, o bone vates!
Tu mortem sancta pro religione subisti
Crudelem: tibi divinos pro talibus ausis
Mortales debent cultus, tibi templa, tibi aras.
Aeternum, venerande senex, salveque valeque,
Seu colis Elysium, seu coeli lucida templa,
Accipe et hunc nostrum non dura fronte laborem.

XXVII.

EIUSDEM EPITAPHIUM.

Inter hospitem et civem dialogus.

H. Quis iacet hic truncus? cuius caput ense recisum est?
Quae natat in tetro sanguine canities?

C.

Eiusdem Epitaphium,] Queritur Hadr. Marius in epistola ad Servatium Zassenum, Librarium Lovaniensem, quemdam in Germania fratris Iani carmina nullo suo iure, idque pessime, edidisse: atque inter alia Naeniam in Th. Mori mortem *Erasmo* tribuisse, hoc vero in eundem epitaphium nescio cuius *Ioannis Sapidi* nomine evulgasse. Epitaphium vero auctori restituerat iam Mich. Nerius, qui Lugduni a. 1539. Basia edidit, additis cum aliis, tum hoc Dialogo.

Dialogus] Huius genii epigrammata dialogica plurima occurrunt etiam inter vetustiora, eorumque imitatione haud pauca apud recentiores, quos indicavi ad T. II. Anthol. Lat. p 74. Burm.

v. 1. *Quis iacet hic truncus?*] Lil. Gyraldus in Hist. Poët. sui temp. eo loco, ubi de Secundo agit, hoc epigramma laudans male sic primum distichon distinguit:

 Quis

C. Hic ille est Thomas Morus: sic fata rependunt
Tristia multa bonis, et bona multa malis.
H. Quae circumsistunt Divae lugubre cadaver?
C. Diva tenax veri, sancta Fides, Nemesis:
Quarum prima fuit causa, et fuit altera mortis;
Ultrix iniustae tertia caedis erit.

Quis iacet hic? Truncus, cuius caput ense recisum est,
Quae natat in tetro sanguine? Canities.

XXVIII.

ALIUD.

Ad Styga cum Mori venisset flebilis umbra,
Pallidulum largo sparsa cruore caput,
Portitor ingemuit, trux Cerberus ora repressit,
Persephone salsis inmaduit lacrymis,
Et, quem rex leto infami damnarat adulter,
Absolvit Stygii iudicis urna reum.
Illum rex Erebi, pro constanti probitate,
Addidit infernis iudicibus socium:
Caedis ut auctorem, fuerit cum morte peremtus,
Addicat diris supplicium meritum.

Vi-

v. 9. *Caedis ut auctorem* cet.] Excitat profecto, et excitare inprimis tum debuit Mori caedes in Henrici extremum vituperium mentem probi hominis, ac poëtae regem adulterum diris tradenti applaudimus. Sed demere mihi videtur non quidem innocentiae, non iustitiae, sed clementiae tamen, candori ac religioni Mori imago iudicis severissimi de tyranno suo poenas sumentis. Quanto maiori admiratione suspiceremus reum iam absolutum clementia ruborem tyranno inicientem?

Viventem interea insectet torva umbra tyrannum
Semper, et ante oculos sanguinolenta volet.
Et vos Eumenides, sparsis per colla colubris,
Illius ultrices tendite in ora faces.

XXIX.

EPITAPHIUM CATHARINAE REGINAE ANGLIAE.

Illa ego, quae poteram regi placuisse marito,
Et forma, et castis moribus et genere,
Postquam me thalamis exclusit adultera pactis,
Emorior, solo funere grata viro.

CATHARINAE REGINAE ANGLIAE.] In Scriverii editionibus sequitur epistola Henrici regis nomine scripta ad Catharinam repudiatam, qua respondet Molsae epistolae, ipsius Catharinae nomine conscriptae. Verum nos potius duximus hanc epistolam reiicere in sequentem Librum Silvarum.

FUNERUM FINIS.

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

SILVARUM

LIBER.

SILVA I.

REGINAE PECUNIAE REGIA.

Est via perplexis per longa meatibus antra,
Regia gemmatis qua panditur aurea valvis
Ingentis Divae, paribus quae cum Iove summo
Obtinet auspiciis secti moderamina mundi.

Si

SILVARUM LIBER.] Nescio an hic titulus ab ipso poëta sit profectus, an ab eius fratribus, qui omnium primi Secundi poëmata ediderunt. Atque hoc verius puto. Continet autem hic liber diversi admodum generis carmina, ita ut Silvarum nomen iure sibi vindicet exemplo Statii.

REGINAE PECUNIAE REGIA.] Primum in hoc libro locum merito occupat hoc venustae inventionis carmen, quod fortasse originem suam debet his versibus Horatii I. epist. 6. vs. 36.

Scilicet uxorem cum dote fidemque, et amicos
Et genus, et formam REGINA PECUNIA *donat.*

Scripsit autem hoc carmen in Hispania anno 1533 et Montissonio Arragonum misit ad Petrum Clericum simul cum epistola, quae est Libri I. duodecima, cuius legas v. 85. ss.

Si qua fides rebus dubiis, iacet orbe sub illo,
Qua Tagus auriferas volvit rubicundus arenas,
Nidorem fumosque exhalans divitis aulae
In terras, Auguste, tuas, ditissime regum
Carole, telluri pacatae sidus amicum:
Inque urbem tractusque tuos, amplissime Praesul
Tavera, o decus Hesperiae, cui cincta recurvis
Moenia gurgitibus ripisque nitentibus auro
Submisit venerans nuper sublime Toletum;
Divinumque senem praefecit ditibus aris;
Maxima quem dominum suspirat Roma, Tagoque
Iam pridem Tybris liventibus invidet undis.
  Non illuc Phoebus flammis rutilantibus intrat,
Nec cum prima vehit sopito lumina mundo,
Nec cum devexo premit arva liquentia curru
Tethyos undisonae, nec cum flagrantibus horis
Aethere stat medio: quid enim fulgentia late
Perpetuis auri radiis, et iaspide fulvo
Atria, nativasque faces iaculante pyropo
Cynthius inmisso nequidquam lumine lustret?
Regina in mediis magnae penetralibus aulae
Aurea tota sedet solio sublimis in aureo,
Diffundens radiantem omni de corpore flammam:
Qualis erit species, solido si cudat ab auro
Intonsi statuam Phoebi Vulcanus, et ora
Flammigeris cingat radiis, et in igne reposta
Educat subito candentis pondera massae.

Haec

v. 29. *Reposta*] *Repostae* perperam edidit Scriverius.

Haec est illa, cui famulatur maximus orbis,
Diva potens rerum, domitrixque Pecunia fati,
Telluris magnae Plutique sacerrima proles;
Cuius adorati petierunt saepe tyranni
Foedera, saepe suas spes damnavere repulsi,
Ex quo Pellaei iuvenis temerarius ardor,
(Credere si fas est, nec fallit cana vetustas)
Magnanimae tentavit herae violare pudorem.
Tempore nam ex illo tacitis nova regna sub antris
Instituit, petiitque piae penetralia matris;
Tergeminamque domum munimine clausit aheno,
Septa procul labyrinthearum ambage viarum.
Prima quidem teritur concursu semita denso,
Virque viro, pede pes urgetur, et omnis eodem
Turba ruit properans iuvenumque, senumque, virûmque:
Antra sonant plausu gradientum, dura gemiscit
Et subsidit humus repetito saucia passu.
Non tam multa solo bifidis vestigia punctis
Servat arenoso, ditis quae mille coloni
Laeta greges via balantes in pascua mittit
Sole novo, et totidem saturos in ovilia cogit,
Cum super Hesperiam lux inclinata recumbit.
At postquam in tenebras ventum est, et in aspera saxa,
Implicitasque vias, haeret mentisque speique
Orba cohors: pars magna retro indignata refertur,
Pars

v. 37. *Pellaei iuvenis*] Alexandri Macedonici.

Pars magnis enixa animis obdurat, iterque
Rumpit anhela, urgens contra fatumque Deosque.
Mox defecta malis nigro tabescit in antro
Emoriens, et congestis iter obstruit arctum
Corporibus. Pauci, nati melioribus astris,
Optatos tetigere locos, aulaque recepti
Ad lumen stupuere novum, clausique tenebris
Tam longis oculi vix admisere nitorem
Insolitum, ingentem, late efflagrante metallo;
Usque adeo, ut multis nebula lux illa perenni
Obruerit fractos iucundi luminis orbes,
Heu, frustra ignaris manibus gemmas, ebur, ostrum,
Auratumque solum dubio pede tentaturis,
Nec formosa Deae visuris ora serenae.
Ante fores opus ex auro memorabile sculptum est,
Auro opus immixtum fulvo viridique smaragdo;
Aurea dimidia fulgent exstantia parte
Signa, at planities viridi exaequata smaragdo est.
Ignotae posuere manus: sedet ordine primo
Alma parens, aperitque sinum pulcherrima Tellus
Silvisque fluviisque, et floribus interpictum,
Dives opum Cereris, gemmarum dives Iacchi,
Dives et Hesperidum silvis, passimque coruscis
Incustodita pendentibus arbore pomis.
Nec non et fulvo demonstrans vimine ramum,
Infernae Iunonis opes, quae Troius heros
Dona ferens Hecatae manes penetravit ad imos,
Li-

v. 82. *Quae Troius heros ferens*] Est Graecismus pro *quibus donis ferendis.*

Liberaque ad superos iterum vestigia vertit.
Tellurem magno circumsonat aequore Nereus:
Et centum liquidae Nereo genitore sorores,
Hae caput attollunt, hae mergunt gurgite cano;
Pars stringunt madidos adverso sole capillos;
Pars ducunt choreas, et candida brachia quassant
In numerum, caudent fulvis vada caerula spumis.
Omnibus at late vasti de finibus orbis
Turbatos maris in fluctus aquilonibus atris
Flumina labuntur pellucidiore metallo.
Ante alios liquido Pactolus Lydius igne
Fulminat, ignito Tagus effervescit et Hermus
Gurgite, non raris di tincti flumen arenis,
Sed puro per culta auro splendentia fusi.
Non aliter, quam cum fulvos Aetnea per antra
Mulciber effudit rivos fornace reclusa,
Cum nova sollicito properaret tela Tonanti,
Vasta Giganteos disturbatura labores.
Stat iuxta fulgens auro Berecynthius heros,
Auriculis asini nondum insignitus acutis;
Qualis erat, manibus cum se tentaverat ipse
Aurificis, donumque Dei damnasset iniquum,
Inclusus nimium proprio iam totus in auro.
Ille tamen quondam sacro se in flumine versans,
Diluit auctoris damnosum munere lucrum

At

v. 86. *Et centum* cet.] Versus Propertianus III. 5. v. 33.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae.

v. 102. *Berecynthius*] A Cerere Berecynthia ita dictus, cuius filius a nonnullis Midas habetur.

At manus artificis tali modo sculpsit in auro
Docta Midam, nullis quod aquis mollescat, ut illic
Aeternum stolidus spectetur imagine digna.
Stat quoque nunc oculis etiam formidine plenis,
Vix bene sopitum credens recubare Draconem,
Vellere Phryxeo rutilans Pagaseus Iason.
Tertius hic etiam, sed longe clarior, adstat
Nubila qui rapidis perfringit hiantia flammis,
Attonitas terrens animas reboante tonitru:
Longe illi modo fulmen abest, regalia longe
Sceptra iacent, vultusque Dei, nec credere posses
Esse Iovem, credi ni vellent omnia vates,
Imperiumque suum nullis includere metis
Monstrosus didicisset Amor; cadit aethere ab alto
Iupiter, indomito mentem liquefactus ab aestu,
Perque vias intentatas, auroque parentem,
Custodesque auro fallens, auroque puellam
In gremium Danaës flavo descendit in imbre,
Et mollem dominae instillat lascivus amorem.
Haec, ubi regificis celebrat solemnia ludis,
Praefigit tria signa suis regina triumphis.
Illam autem tollentem animos, atque alta tuentem,
Aulai in medio et sceptrum regale tenentem
Circumstant variae dextra laevaque figurae,
Diversorum gens operum, mirabile visu.
Hinc furibunda quatit rigidam Bellona bipennem
Avectis dives spoliis, et Martius horror
Per fera castra fremit, captaeque fit urbis imago.
Arma, tubae, lituique sonant, et tympana rauca,

Tinnituque fragor densus miscetur acuto.
At parte ex alia nitido placidissima vultu
Pax sedet, aureolum spicis evincta capillum,
Palladiaque gerens felicem ex arbore ramum.
E gremio Bacchique liquor, variique coloris
Poma fluunt, Cererisque fluunt uberrima dona;
Omnia quae postquam terra tetigere parentem,
(Admiranda cano) croceum durantur in aurum.
Fortuna ante alios magnum sibi vindicat illic
Imperium, regnique tenet communia sceptra,
Instabilemque globum gemmis ornavit et auro;
Proximaque accubuit dominae, quam Gratia circum,
Ventosusque Favor, fallax et Opinio vulgi,
Elatisque superciliis vultuque tumenti
Incedens, coelumque oculis et inania captans,
Ducit inauratam vesana Superbia pompam,
Laeta opibus, formaque et adulatrice caterva.
Fortunam contra posita est, et lumine claro
Adspicit indignantem, et despicit aemula Virtus.
Ingenium solers, indefessique Labores
Adsistunt, celebri quos ordine mille sequuntur
Artes, humanae solatia dulcia vitae.
Proxima septa satellitio regumque ducumque
Stat pia Religio, cultus pertaesa priores,
Barbamque, tritamque togam, lacerasque lacernas,
Et peram, et, Cynicae gentis monumenta, bacillum,

Pro

v. 163. *Cynicae gentis monumenta.*] Haec Cynicorum insignia satis aliunde nota, de quibus quid statuendum vide apud Bruckerum Hist. Phil. P. II. L. II. c. 8.

Pro quibus excultos amplexa est mitra capillos,
Mitra micans auro, pellucidulisque lapillis,
Et picturatis collo iacet infula filis
Demissa ex humeris, pectusque et brachia et imos
Palla premit talos auro gravis intertexto.
Hic leges etiam sanctae, et veneranda Senatus
Decreta antiqui (quis credere possit et illud?)
Ante pedes dominae flexa cervice recumbunt;
Proque levi magnae nutu Rectricis, in omnes
Vertunt se facies, et lusu Protea vincunt
Mirifico, ridente Dea, et tollente cachinnos
Contemtrice sacri iuris legumque Rapina,
Effera quae laeva princeps in parte resedit,
Auratam chlamydem nigro perfusa cruore.
Hic Furta, Insidiaeque latent Fraudesque Dolique,
Squalida Avaritiae circum praecordia matris,
Omnibus his nigra caput est in nube sepultum,
Scilicet ut celent vulpini dedecus oris,
Exiguos oculos, rostrique petacis acumen.
Nec procul hinc, tabulis loculoque onerata tumenti,
Aurivoros impellit equos, curruque volucri
Praecipitata, rapit celeres Usura Kalendas.
Nec Libitina suos non hic quoque reperit usus,

At-

v. 173. *In omnes vertunt se facies.*] Pulcre eandem rem tractavit etiam Hesiod. in Opp. et Dieb. v. 200. ss.

v. 182. *Rostrique petacis*] *Petax* inferioris Latinitatis vox

v. 186 *Rapit celeres Usura Kalendas.*] *Celeres Kalendas* vocat etiam Ovid. Rem. Am. v. 561.

Attollitque rogos, et testamenta resignat.
At circum auratasque trabes, aurataque tecta,
Aureaque insomnes circum laquearia Curae
Stridentes agitant pennas examine longo.
Qualiter, ut fama est, Stygiae per inania ripae
Palantes volitant animae, quas aspera fata,
Indeplorato sparsis in funere membris,
Sedibus exclusere suis et honore sepulcri.
Nec minus interea Risus, Lususque Iocique,
Dulcesque Illecebrae, lactantes nuda papillas,
Nuda genu, Cyprioque madens a rore Voluptas
Porticibus currunt longis: iuvenumque puellis
Mixta ruit series, et mutua gaudia iungunt.
Ipse suis Citherea praeest pulcherrima sacris,
Et puer arcitenens operosa ludit in aula,
Saepe choros iuvenum taeda petulante lacessens,
Saepe puellarum succendens pectora flammis.
Spicula quin etiam dominam molitus in ipsam est
Saepe proterva ferox, et in auro condidit aurum.
Hac tamen in sola fertur damnasse caducos
Saepe puer plorans arcus, obtusaque fregit
Tela genu, illisitque solo, pedibusque tenellis
Calcavit, frustraque Venus solata dolentem est.
Nam proprio, mirum, Regina indulget amori,
Ac facies iuvenum pictas exosa, seniles
Diligit amplexus, et frigida basia captat
Vinctorum podagra lapidosum corpus, et aevi
Emensi longis ambagibus incurvorum;
Fessa quibus prono subnitens vita bacillo

Ultima declivis tetigit confinia metae.
Pulsa procul thalamis moeret formosa iuventus;
Purpureas signata genas lanugine prima:
Non illos madidi myrrha redolente capilli,
Lucida non tereti distincta monilia collo,
Ebria non Tyrio commendat murice palla,
Tinnulaque arguto resonantia pollice fila
Phoebeae citharae, cantusque et docta choreis
Tibia saltandis, et melle fluentia verba.
Si tamen est horum quemquam dignata cubili
Diva suo, felicem illum super omnia, felix
Si tamen esse cupit, naturaque mitis in illo est;
Illi Diva potens secreta e sede revulsum
Ignotum donat argenti pondus et auri,
Exemtum curis, purum et sine labe metallum,
Quod recreet moestos animos, et turbida mentis
Nubila discutiat, et proclinata iuventae
Tempora florentis longos extendat in annos;
Unde favor surgatque hominum, surgatque
Deorum,
Et laeti iuvenis felicia facta sequatur
Gratia multa comes, cumque altis fama triumphis.

At vero numero ex omni, quem maxima servant
Atria, conspicitur vates vix unus et alter:
Atque illi longe prius abiecere poëtae
Squalentem vafri faciem, crinesque tiara
Laurigeros, vel puniceo texere galero,
Mentitaque Deam taciti sub imagine fallunt.
O vatum gens infelix, frustraque profani

Con-

Contemtrix populi, frustra nutrita sub antris
Pieriis, frustra choreis admissa Dearum,
Lucorum roseis in vallibus antiquorum,
Si vobis infesta manet Dea maxima, cuius
Concussus sceptro terrae tremit orbis, et omnis
Regia turbatae mugit procul Amphitrites!
Ipse ego, roriferae per blanda silentia noctis,
Ductus in illustrem longis anfractibus aulam,
Aut vidi, aut vidisse Deam per somnia rebar.
Mox avidis tentabam oculis in imagine blanda
Haerere, et, si somnus erat, vaga numina somni
Orabam, volucres alio ne verteret alas,
Neve quis, optabam, me compellaret amicus
Sopitum, strepituve pedum turbaret iniquo.
Omnia conabar frustra: vix viderat illic,
Et tactum ramo iussit discedere vatem
Regina, imperioque minas adiecit et iram.
Nec mora: cum domina, cum cunctis regia gemmis,
Cumque satellitio, cum pondere divitis auri,
Par levibus fumis, tenues evasit in auras;
Noctisque ante oculos facies inamoena remansit.

II.

EXPOSTULATIO CUM NEPTUNO IN DILUVIO QUOD IN PATRIA CONTIGIT A. CIↃIↃXXX.

Salsipotens magni frater Neptune Tonantis,
Undivagos late campos, et livida regna
Qui data sorte tenes, vitrea dominator in aula!
Quid tantum, pater alme, paras? an secula Pyrrhae, et
Deucalioneas iterum exspectabimus undas?
Et quaerendus erit vacuae novus incola terrae?
Proh scelus! obruitur tumido Zelandia ponto,
Amplaque fertilibus spoliatur Flandria terris,
Hollandosque premunt nihilo leviora colonos.
Aggeribus spes nulla manet, prosternitur undis
Dives opum tellus malefidis credita glebis.
Tecta, domus, et mixta suis armenta colonis,
Cum-

IN DILUVIO A. 1530.] Hanc diluvionem sane ingentem, qua 72 pagi submersi dicuntur, descripserunt historici illius temporis. Vide Petitum in Chron. Gall. Holl. et Zeland. L. VII. extr. Sed illam superasse dicitur atrox inundatio, quae d. 1. Nov. 1570 has terras obruit, qua intumescens ultra modum Oceanus aliquot Zelandiae insulas, magnam Hollandiae litoralis partem, totamque fere Frisiam, et 20 millia hominum absorpsit, quam describens Meteranus Lib. III. fol. 65. indicem subiungit huius et aliarum, quae Belgium diversis temporibus infestarunt, diluvionum. Burm.

v. 3. *Regna qui data sorte tenes.*] Neptunus apud Virg. Aen. I. 139.

Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.

Cumque pecus pastore fluit, cum pignore mater.
Atque aliquis, quem sors fugientem eximit aquae vi
Servatum truculenta fami, vel arbore celsa,
Monte vel aërio spectat seu coniugis ora
Pallida, seu natos, seu si quid carius illis,
Sub pedibus fluitare suis, moriturque videndo.
Iamque stat aequa mari tellus discrimine nullo,
Apparentque vago turres in gurgite passim,
Quas velut ignotas formidet navita cautes,
Quasque colant pisces Veneris procul alite pulsa;
Et quae quadrupedemque equitem, celeremque per arvum
Sunt loca passa rotam fluitantibus invia nautis,
Ferre ratem discunt, et vela patentia ventis;
Qua-

v. 20. *Apparentque vago turres in gurgite passim.*] Virg. ibid. v. 118.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

v. 21. *Quas velut ignotas formidet navita cautes*] Simile quid habet v. cl. D. I. van Lennep in egregio illo carmine de arce Brederodea, ubi futurum ait de patria urbe

Ut lentae salices surgant, ubi curia quondam
Iusserat ad dominos regna venire pedes,
Et pavidus mersas offendens navita turres
In dubio credat saxa latere mari.

Vid. Carm. Iuvenil. p. 86.

v. 23. *Quadrupedemque equitem.*] Ennius apud Macrob. VI. 9. et Gell. XVIII. 5.

Denique vei magna quadrupes eques, atque elephantei
Proiiciunt sese.

ad q. l. Macrobius docet veteres et equum et equo insidentem appellasse *equitem*, citans Virg. III. G. v. 115. *Equitem docuere sub armis:* et haec loca respexisse Secundum arbitror.

Quaque stetit crescens nuper felicibus arvis
Ardua nunc illac loca per natalia quercus
It, volucrique secat non sic sibi cognita cursu.
Sicne, pater Neptune, decet? sicne ira Deorum
Sollicitat quoque saeva animos? quae causa furoris?
Fare, quid innocuam potuisti mergere gentem?
Anne tuos toties mortales visere fines
Non pateris, spolioque maris ditescere vasti?
Inque tibi cessum fatali sorte tridentem
Pridem terrestres ius usurpare tyrannos?
At poteras pelago merita nece perdere nantes,
Mortalesque semel regno prohibere liquenti.
Quid miseri meruere viri, qui vomere terras
Exercent patrias, infames crimine nullo?
Imperio ut, violente, tuo furibundus aquai
Impetus incautos vita spoliaret et agris:
Aut spoliaret agris, vitamque relinqueret aegram,
Per lacrymas et per suspiria traducendam?
Quos mihi nunc videor nequidquam multa querentes
Cernere, et, heu, surdo iactantes talia ponto:
O nimium felicem illum, quicumque colonus
Cum pecore atque casa, durique laboribus aevi
Piscibus esca natat, liquido bene funere mersus,

Lon.

v. 30. *Sicne ira Deorum Sollicitat quoque saeva animos*] Virg. Aen. I. v. 11.

Tantaene animis coelestibus irae?

v. 48. *Piscibus esca natat.*] Prop. III. 5. v. 6.

Et nova longinquis piscibus esca natat.

Longa nec annosae timet infortunia vitae.
Nos patriis exuti opibus, rerum omnium egeni,
Ignota exsilia, et longinquas quaerere sedes,
Vesanamque famem cogemur ferre: sed anne
Omnibus ereptis, dirae violentia sortis
Eripuit quoque posse mori? moriamur et ultro
Praecipites animas pelago iactemus avaro.
O varios hominum casus, o caeca futuri
Pectora! quos modo florentes, opibusque superbos
Viderat exoriens, prostratos vidit Apollo
Oceano tincturus equos. Nunc ite, secundis
Fidite mortales rebus, sortique rotanti.
Non potuit quisquam de tot, quos munere pavit
Vasta suo tellus, umquam prece, thure vel auro
Sic sibi devinctos animos habuisse Deorum,
Ut sibi venturam promittere quiverit horam.

v. 50. *Nos patriis exuti opibus* cet.] Comparari possunt versus N. Villanii T. XI. Carm. III. Poët. Ital. p. 195. in belli calamitate:

Hic iugulum fortasse velit cum rebus ademtum.
Heu, heu, quam multi deiectis igne manuque
Urbibus extorres, errones, omnium egeni
Iam non vitalem coguntur vivere vitam.

v. 62. *Umquam*] Sic restitui ex edit. Trai. perperam Scriverius *numquam*. Cum his versibus conferatur locus Senecae ad sequens carmen citandus.

III.

Omnibus horis
Nemo beatus.
Lubrica sors est,
Nescia certa
Sede morari.

Quum

Omnibus horis cet.] Cum toto hoc carmine, quo rerum vicissitudinem, instabilemque fortunam queritur poëta, operae pretium fuerit conferre ea. quae ipsa Fortuna loqui inducitur apud Boëthium Consol. Philos. L. II. quem ego locum ob oculos Secundum habuisse opinor: *Licet coelo proferre lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere; licet anno terrae vultum nunc floribus frugibusque redimere, nunc nimbis frigoribusque confundere. Ius est mari, nunc strato aequore blandiri, nunc procellis ac fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam, nostris moribus alienam, inexpleta hominum cupiditas alligabit? Rotam volubili orbe versamus; infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Et quae plura ibi sequuntur. In eandem sententiam Horatius I. od. 34. v. 12.

Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

quos versus in animo habuisse videtur Boëthius. Seneca Tragicus in Thyeste v. 615. ss.

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet haec illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam; rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

 Hui

Quum stat in imo,
Tendit in altum;
Quum stat in alto,
Tendit ad imum.
Phoebe, remotas
Pronus in undas
Sidis, et idem
Tramite sueto
Aurea notum
Plaustra retorques
Gratus ad ortum:
Per te ubi laetis
Candida terris
Reddita lux est,
Proxima furvis

Tor-

Huc partim etiam pertinent haec Euripidea ex deperdita Tragoedia Ino, quae sic correcta exhibet Valcken. in Frag. Eurip. p. 6.

"Ανασσα, πολλοῖς ἐστιν ἀνθρώπων κακά·
Τοῖς δ' ἄρτι λήγει· τοῖς δὲ κίνδυνος μολεῖν.
Κύκλος γὰρ ὡὑτὸς καρπίμοις τε γῆς Φυτοῖς,
Θνητῶν τε γέννα· τῶν μὲν αὔξεται βίος,
Τῶν δὲ φθίνει τε, καὶ θερίζεται πάλιν.

quae sic vertit Grotius:

Regina, multos opprimunt homines mala.
Ab his recedunt, rursus illis inminent.
Eunt in orbem terra quas fruges parit,
Hominumque soboles: quippe pars surgens viret,
Pars iam metenda exspectat exitii diem.

Sapienter Plin. in Paneg. c. 5. *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque semina Deus, et plerumque bonorum malorumque causae sub diversa specie latent.*

—

Torva tenebris
Nox manet aegrum
Scilicet orbem:
Quae simul atque
Ingruit, uno
Cuncta colore
Turbida miscens,
Aëra, silvas,
Flumina, ripas,
Praedia, colles,
Iam meditatur
Ferre soporis
Lumina terris,
Vecta coruscis
Nuncia Phoebi Au-
rora quadrigis.
Bruma ubi nigris
Horrida ventis
Abstulit omnes
Undique flores,
Abstulit agris
Gramina calvis,
Misit iniquas
Dira pruinas,
Reddidit altis
Montibus aequas
Grandine valles,
Et glacialem
Marmore texit

Fri-

Frigida pontum;
Dulce redit ver,
Et redit aestas
Tincta virentes
Rore capillos,
Cincta caducis
Tempora spicis;
Restituitque
Flamine molli
Gramina campis,
Et spoliatis
Reddere gaudet
Tegmina silvis;
Sedula pictos
Ornat apricis
Floribus hortos:
Scilicet ut sit,
Quod fera rursum
Perdere possit
Bruma revertens.
Quum Zephyri flant,
Quumque sereno
Turbida movit
Nubila coelo
Clarus Apollo,
Iam Boreas, iam
Iamque protervus
Auster, Orionque
Inminet udus.

Perpetuum nil.
Cuncta recurrunt
Ordine certo:
Gaudia luctus
Occupat amens,
Seque superbis
Funera miscent
Saeva triumphis.

v. 84. *Seque superbis* cet.] Respicit Horatii versus ad Fortunam I. 35. princ.

O diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

I V.

VIATOR ET ECHO.

O quae diva cavos colis recessus,
Silvarumque regis domos opacas,

Tu,

ECHO] Fallitur Pasquier, Recherches de la France L. VII. ch. 13. qui ex hoc carmine putat primam carminis echoici inventionem referri debere ad Ianum nostrum Secundum, cuius iudicium frustra secutus est Ant. Fureterius. Vide quae notavi ad Lotich. L. I. el. 8. v. 95. Burm. Docet ibi Burm. nec veteres eiusmodi versus echoicos refugisse, velut Ovidium III Met. v. 380. laudatque Theod. Dousae opusculum, quod continet Lusus eiusmodi echoicos e variis poëtis collectos, cuius editionem habeo Ultraiectinam a. 1638. Mihi autem hae elegantiae, si ita appellari merentur, ortum traxisse videntur a poëtis Alexandrinis: certe antiquissimum huius generis carmen, quod sciam,

Tu, quae de reliquis deabus una
Quas frondesque iuvant, iuvantque fontes,
Audiris toties, videre numquam:
Dic, quae finis erit meo calori,
Imas qui mihi devorat medullas?
Ut, formosa, tuas voravit olim
Superbo e pueri decentis ore,
In flatum revoluta quum iaceres
Languens umbra, superstitemque sola
Vitam voce brevis teneret aura.
Dic: nam forte libet meas querelas
Audire, et veteres novare curas:
Dic, oro, poterit quid impotenti
Seros ponere limites amori?
ECHO. *Mori.* VIAT. Di meliora! sicne nobis
Ad canos igitur dies manebunt,
Et canos quoque non dies relinquent
Singultus, lacrymae, gravesque voces?
Aut mox abiicienda prima vita est?
ECHO. *Ita est.* VIAT. At licet ire perque gentes,
Perque undas, ubi nulla me sequatur
Sublati ex oculis Amoris ala.
Non illic dominae procul relictae
Mentem sidereae faces perurent.
ECHO. *Urent.* VIAT. Non roseum os, genaeque tangent.

ECHO.

est epigramma Callimachi 30., quod, demto tamen ultimo disticho, legitur etiam in Anthol. Mantissa IV. T. III. p. 429. edit. Boschii.

v. 27. *Urent.*] Vide notas ad L. II. el. 7. v. 61

ECHO. *Angent.* VIAT. Sed dolor hic levis brevisque,
Fomento cito destitutus omni
Sese conficiet, negante vel te.
ECHO. *Ante vel te.* VIAT. Adeone amarum amare est?
ECHO. *Mare est.* VIAT. Hei mihi, quidquid est malorum
Admittit medicas amatque curas,
Nulla solus amor levatur arte:
Non cantu perit, aut perit venenis,
Spernit consilium fidele, spernit
Quidquid meus bene suada prodit. ECH. *odit.*
VIAT. O ne, ne mihi talium dolorum
Sensus ter misero supersit ullus!
Quam mallem media stupere silva,
Durae cortice membra tectus orni,
Qua Caurus mihi, qua protervus Auster
Nequidquam, Boreasque spiritosus
Hinc illinc quatiantque vellicentque
Amoto querulas dolore frondes!
Aut tecum in liquidas abire voces,
Per silvasque volare, perque valles!
Saltem laeta sonare tunc subinde
Possem, quum facili fruens amore
Felices caneret viator ignes,
Nec semper grave diceremus heu. ECH. *Heu!*

v. 31. *Ante vel te.*] Ante vel te conficiet.

v. 34. *Nulla solus amor levatur arte.*] Vide L. I. epigr. 55, 56 et 57.

v. 43. *Spiritosus*] Vox barbara.

V.

ORPHEUS.
ECLOGA.

Orphea Threiicium Lycidas, patrem Orphea vatum,
Amissa viduum bis coniuge, sola per antra
Moe-

ORPHEUS.] In hoc argumento quasi certamen ingenii cum aliis poëtis vetustis ac recentioribus, qui in eodem versati sunt, iniisse videtur Secundus. Confer Virg. IV. G. v. 454. Auctorem Culicis v. 267. Ovidium X. Met. init. Senec Herc. Fur. v. 568. Herc. Oet. v. 1036. e recentioribus Io. Iov. Pontanum L. III. Uraniae p. 69. et Od I. Lyric. p. 97. I. Bapt. Amaltheum Poëm. p. 75. Corn. Amaltheum p 122. Flaminium. L. I. Carm. 42. et L. IV. Carm. p. 102. Benedictum Lampridium Poëm. p. 9. et e nostris N. Heinsii Poëm. p. 246 et 248. In hunc vero Orphea Secundi sic lusit Ian. Dousa F. in Epigr. p. 201.

Vallibus e Stygiis redeat si Thracius Orpheus,
Et videat vates Orphea magne tuum,
Dicet: Di facerent, cecinissem talia quondam,
Mitior in nos, heu, Pluto futurus erat.

Burm. Superioribus poëtis addendi quoque sunt Boëthius Consol. Phil. L. III. extr. Hier. Amaltheus p. 23. edit. Broukh. Livin. Meyerus L. IV. eleg. 8. et D. I. Lennepius V. cl Iuven. p. 61. Quod si quis vero reprehendat poëtas, quod argumentum sibi tractandum sumserint adeo tritum ac decantatum, ut vix aliquid novi in illo exspectandum sit, istum censorem ablegamus ad Senecae epistolam 79. ubi amicum hortatur, ut Aetnam describat in suo carmine, et hunc solemnem omnibus poëtis locum attingat: *quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod iam Virgilius impleverat: ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit. Omnibus praeterea feliciter hic locus se dedit: et qui praecesserant, non praeripuisse mihi videntur quae dici poterant, sed aperuisse. Sed multum interest, utrum ad consumtam materiam, an ad subactam accedas. Crescit in dies, et inventuris inventa*
non

Moerentem, vocesque trahentem pectore ab imo
Ferales, et fracta gravi nemora avia questu
Infelix cecinit desertis pastor ab antris,
Formosi pecoris, lanaeque oblitus et herbae
Surgentis vario per mollia prata colore,
Et canis et mulctrae, sed non oblitus amorum,
Quos illi, placidis adsueto semper in agris
Nympharum tepidis amplexibus indulgere,
Moverat, heu, glaucisque oculis flavoque capillo,
Astuque fastuque valens urbana Neaera,
Intactam Veneris praecellens alba columbam,
Et canum Veneris florem, gelidaeque Pyrenes
Vicinas candore nives et frigore vincens,
Et cannis pueri et magno male digna furore.
Illum deserti montes et frigida saxa,
Montibus et qui desertis gelidisque feroces
In saxis stabulant ursi, gemuere gementem,
Getulaeque procul suspiravere leaenae,
Notaque nutarunt intonsae ad carmina quercus,
Annosae quercus, et luctiferae cupressi
Lugentem circumstabant: ast optima mater
Ad tristes excita modos stupuitque sonantem
Calliope, dixitque: meis num forsitan istis
Natus inest silvis? et bis remeare sub auras
Eva-

non obstant. Praeterea conditio optima est ultimi. Parata verba invenit, quae aliter instructa novam faciem habent: nec illis manus inlicit tamquam alienis; sunt enim publica. Et quae plura ibi lectu digna sequuntur.

v. 16. *Et cannis pueri*] Pro spiculis sive sagittis Cupidinis insolens.

Evaluit? Ditemque novo modulamine vicit?
Tergeminique canis compescuit ora canendo
En iterum? Nec plura; ruens petit oscula falsi
Infelix nati: mox spe deiecta, suāve
Erubuit: tamen et vero se iungit et una
Divinam citharam digitis tentavit eburnis,
Moestaque suffecit lacrymas et verba canenti.
Ergo quum fugeres iuvenem, clarissima coniux,
Vesanum virusque invito adflaret ab ore
Tabificus serpens, non sufficiebat ad orcum
Ire semel? vitamque tuis exsolvere fatis
Innocuam? aut lacrymas impendi in funere parcas,
Cara, tuo? nisi te, nisi te, carissima coniux,
Ipse retorquerem sub iniqui iura tyranni?
Letiferis demens oculis luctumque pararem
Ipse alium sine fine mihi? me mitior anguis
Ille fuit, diri tantum malus ultor amoris
Ereptam celeri te reddidit ille marito:
Ipse ego te mihi rapui, tu flebilis inter
Excidis amplexus; damnosaque lumina longe
Rapta fugis. Quo dulcis abis? iam te negat ipse
Portitor illacrymans iterum transmittere cymba.
Rex Erebi dolet ipse, dolet regina profundi
Commiserans, legesque infracti coniugis odit:
Quaeque meo primum concussae pectora cantu

Ar-

v. 50. *Infracti coniugis.*] *Infractus coniux* contrarium significat illius, quod vult poëta. Optimae enim aetatis scriptoribus *infractus* is est, qui valde est fractus; et tantum apud seriores eam habet significationem, quam hic sensus requirit.

Ardentes oculos tenui sparsere liquore,
Eumenidum guttis maioribus ora gravantur.
Tu vero neque me damnas, neque fata remordent
Te tua, nec velles nisi sic adspecta reverti;
Tota sed in curas viduati coniugis acres
Intendis luctus; me me in suspiria, me me
In lacrymas decet ire, animamque efflare nocentem.
Te nemus Elysium foveat, tibi mollior aura
Consumat lacrymas; te nullo vulnere tardam
Ad choreas nymphae vocitent, ducantque vagantem
Secure per prata pedem, qua nullus in herba
Anguis odorata liventi sibilat ore.
Nos vitam in tenebris aegram luctuque trahamus,
Qua non ulla pedes humanos semita ducat.
Ad glacialem Hebrum deserti in montibus Haemi
Mecum undae, mecum antra gemant: mea plectra secutae
Ornique piceaeque fleant, et largius aureas
Infami lacrymas diffundat ab arbore Myrrha.
Phoebe pater, si non falsos mihi narrat amores
Calliope, sume hanc citharam, mihi tensa remissae
Deficiunt ad fila manus: tu pollice luctum
Elice de fidibus, qualem Peneïa Daphne,
Cortice tecta novo, trunco exaudivit ab imo,

Damē

v. 62. *Vagantem Secure per prata pedem.*] Sic emendavi pro eo, quod contra metrum in omnibus libris editur: *Securo vet prata pede.*

v. 70. *Si non falsos mihi narrat amores Calliope.*] Supra v. 33. ipsa Calliope dicitur verba canenti suffecisse. Iamne verosimile est illam quoque haec suffecturum fuisse? Non credo.

Damnavitque suos nutanti vertice fastus:
Qualem, labenti superingeminans Cyparisso,
Pro puero ramis lugubribus inclinatus,
Oscula fixisti ligno suprema dolenti:
Qualem effundebas funesti in crimina disci,
Optima quum tellus, generoso foeta cruore,
Ad tua purpureum submisit basia florem,
Dilectum florem pro dilecto Hyacintho.
Euridice, miseri Euridice misera uxor amantis,
Cur me tentantem Stygiae vada vasta paludis
Non niger absorpsit violento vortice fluctus?
Cur me tam mites spectastis Erinnyes? et tu
Formidatarum custos ignave viarum,
Deposita triplicis ieiuna gutturis ira,
Ad mea ludebas blanda vestigia cauda?
Vestrum erat hoc raptare caput, membrisque revulsis
Per Phlegetonteas audacem spargere flammas
Artificem: eluctatus in aëra spiritus isset,
Cumque umbra tenuis se confudisset amata
Euridices, tutoque suos vidisset amores.
Heu, quis me citharae tam blandum fila movere;
Quis deus edocuit tam molli carmine Ditem
Demulcere trucem; serpenticomasque sorores
Ad lacrymas urgere novas? Tunc stridere raucum

De-

v. 76. *Qualem — Oscula fixisti.*] Anacoluthia: deest enim verbum unde *qualem* pendeat. Versus antecedens contrarius est Ovidiano M. I. v. 556.

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum.

Debebant, domino non agnoscenda canoro;
Stamina, et in medio vox intercepta palato
Succidere: heu gravis arte mea mihi luctus inundat.
Mitis eras igitur Pluto; ut crudelior esses,
Fallacemque meo velares crimine culpam?
At non te, Siculo nuper de litore curru
Praepete quum fugeres, in dulcem vertere praedam
Sollicitos oculos vetuisset conscia Mater.
Hei, duras fati leges, semperque caducas
Spes hominum pugnante deo! Qui corda ferarum,
Qui domui silices, proprios compescere motus
Non valui, occultumque deae Cythereïdos ignem.
Ergo pro cara suspiria anhela marita,
Pallorem exsanguem, maciem horroremque tre-
mentem,
Et Furias comites inferna ab sede reduxi?
Nec potui curas Lethen sopire bibendo?
Abde coloratos auro, pater, abde iugales
Fluctibus Herculeis; melius nox apta dolori est.
Redde coloratos telluri, redde iugales;
Ecce mihi lacrymae noctem fecere dolorque,
Turgidaque imbre diem praetexunt lumina denso.
Sic tenerum in silvis moeret Philomela nepotem,
Sic

v. 100. *Stamina.*] Pro chordis citharae exemplo Ovidii XI. M. v. 169. *Stamina docto Pollice sollicitat.*

v. 101. *Mihi luctus inundat.*] Insolens locutio.

v. 106. *Vetuisset conscia Mater.*] Conscia facinoris in Euridicem perpetrati.

v. 109. *Qui domui silices* cet.] Haud multo dissimilis querela est Apollinis apud Ovid. Met. I. v. 520. ss.

Sic soror in tectis natum deplorat hirundo;
Sic gemit arenti viduatus ab arbore turtur;
Sic nondum lacrymis satiata Memnonis umbra
Lutea perpetuo stillat Tithonia rore.
Euridice, miseri Euridice misera uxor amantis,
Me tecum, me debueras auferre sub umbras
Praecipitem: vitam nobis mors illa dedisset.
Ipsa Venus iunctos vallem duxisset in illam,
Qua ver perpetuis fecundat odoribus arva.
Ipse puer Veneris, flammatam lampada quassans,
Discussisset Amor nebulas Acherontis opaci.
Nunc noctem simul invisa cum luce dedisti,
Invide dux Erebi: moriar tamen: en mihi laxis
Genua labant nervis; exsanguis serpit in artus
Pallor, et haud multum, memini, distamus ab umbris,
Moesta per iguavàm quas volvit cymba paludem,
Squalida peioris nantes confinia ripae.
Euridice, miseri Euridice misera uxor amantis,
Bis moriens tecum, Euridice, bis per Styga traxti
Hanc animam, tecumque manet pars maxima nostri.
Corpus inane traho tenui vix mobile vento:
Qualem Thessalicis inmixto carmine succis
Inspirant animam per frigida membra caducam
Monstrifici vates: aut qualia luce carentum
Instabili simulacra virûm discurrere motu,
Et tenues miscere sonos, et inania vocum
Murmura solliciti per somnia vana videmus.

Eu-

Euridice, miseri Euridice misera uxor amantis,
Euridice, quo me fletu tua fata piare,
Quoque iubes gemitu? quid me tolerare cruentum?
Adspice cum scisso laniatas pectore vestes,
Adspice cum tepido lacrymas certare cruore.
En tibi, damnamus tenebris haec lumina caecis,
Aeternumque patris iubar interdicimus illis,
Purpureum iubar, et sub nocte natantia nigra
Cogimus admissi lenta intorpescere poena.
En tibi, quod nimio furiarum pectus amore
Intempestivo rupit mea gaudia voto,
Femineo numquam posthac ardore calebit.
Nulla tuum pellex premet importuna cubile,
Euridice, nec primaevos avertet amores
Mollibus illecebris Ciconum nurus ulla meorum.
Plura quidem dicturus erat; vicina caneuti
Calliope vetuit, Lycidamque amplexa repressit.

v. 156. *Intorpescere.*] Verbum veteribus incognitum.

V I.

DIALOGUS LUCIANI DORIDIS ET GALATEAE, LATINO CARMINE REDDITUS.

Forte Deae pelagi ludentes litore curvo
Captabant radios, auree Phoebe, tuos.

Hic

DIALOGUS LUCIANI] Vide notas ad Lib. I. epigr. 38. Est autem hic Dialogorum Luciani marinorum primus, T. I. p. 288.

Hic Thetis, hic Melite, Spio, Panapeaque virgo,
Cymodoce, Doris et Galatea fuit;
Quum Doris ficto Galateam molliter ore
Risit, et arguto strinxit amara ioco.

DORIS.

Scilicet egregie tandem formosus amator
Contigit, o felix iam Galatea, tibi!
Nimirum hic Siculus pastor (proh numina, qualis!)
Deperit, ut passim fertur, amore tui.

GALATEA.

Ne ride: qualis qualis tibi, Dori, videtur,
Neptuno tamen est de genitore satus;
Neptuno, vitreis late qui praesidet undis;
Neptuno, a summo qui Iove prima tenet.

DORIS.

Egregium vero, quod sit Neptunia proles;
Esto, sit altifremi filius ille Iovis.
Quum tam deformis sit, agrestis et hispidus, et quod
Omnibus est unum turpius unoculus;
An vero genus ad formam prodesse putabas?
Hoc tibi deformis nomine pulcher erit!

GALATEA.

Immo nec est deformis, et id quod dicis obesse,
Hoc queat, hoc formam nobilitare viri.

Quip-

188. edit. Hemst. Poëta noster partes suas ita egit, ut principium et finem de suo addiderit, reliquis vero Luciani mentem adeo fideliter reddiderit, nullum ut acumen omiserit.

v. 21 Im-

Quippe quod agrestis, quod et hispidus, (haec tua nam sunt
Crimina, sic libitum est haec vocitare tibi.)
Non deformat eum, verum mage, Dori, virile est,
Crede, decet fortes hispida barba viros.
Porro oculus media nitido qui fronte relucet,
Et quem Phoebeae lampadis instar habet,
Ille etiam decet hunc, hoc cernit certius uno,
Quam si vel duo, vel lumina mille forent.

DORIS.

Tu vero mihi iam, Galatea, videris habere hunc
Non tibi amatorem, verum adamare magis;
Usque adeo laudas, et quae contraria formae
Iam formosa uti sint, atque decora iubes.

GALATEA.

Haud equidem hunc adamo; tamen ista insignia vestra
Scommata, et insulsos haud queo ferre sales.

Et

v. 21. *Immo nec*] Brevem facit ultimam syllabam *mo*, exemplo Martialis, sed contra morem veterum.

v. 28. *Et quem Phoebeae lampadis instar habet.*] Similia ipse Polyphemus apud Ovid. XIII. M. 850.

Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae,
Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clypei: quid? non haec omnia magno
Sol videt e coelo? Soli tamen unicus orbis.

Virg. III. v. 636.

Lumen quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phoebeae lampadis instar;

Conf. Theocr. Id. XI. v. 31. s.

Et plane invidia huc mera vos stimulare videtur,
Quod vos non itidem, ut me, Polyphemus amat:
Quodque gregem nuper celsa dum pascit in Aetna,
Inter lanigeras conspiciendus oves,
Nosque procul mixtim per litora picta vagantes
Cernit, ubi pedibus prominet Aetna suis,
Vestrûm non ullam vel solum adspexit, at ipsa
Visa viro cunctis pulcrior una fui.
Meque proinde suo dignatus lumine solam est;
Lumine sidereas exsuperante faces.
Haec ea sunt, haec sunt, quae pectora vestra remordent;
Hinc illi risus illepidique ioci:
Namque haec cuncta docent, me vos praecellere forma,
Meque magis dignam, quam Polyphemus amet.

DORIS.

Scilicet invideam, quod tu formosa videris
Lusco! et pastori quod, Galatea, places!
Quamquam aliud, quaeso, potuit quidnam ille probare,
Praeter candorem, lactea diva, tuum?
Ille placet, quod lac cibus est et caseus illi;
Quod simile his pulcrum protinus iste putat.

Tu

v. 55. *Illo placet.*] Alludit in his ad ineptas ipsius Polyphemi laudationes apud Theocr. v. 20. quibus Galatea dicitur λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, quod et Ovidius expressit re tamen paulisper immutata:

Candidior nivei folio, Galatea, ligustri.
Mollior et cygni plumis, et lacte coacto.

Tu vero cupis ipsa tuam si noscere formam,
Nec tibi iudicio stulta placere malo,
Pendenti e scopulo, si quando silentibus Austris
Pellucens placidis unda iacebit aquis,
Temet contemplare, precor: dabit unda colorem
Consimilem lacti, consimilemque nivi.
Atqui nulla quidem facies candore probatur,
Candida purpureis sit nisi tincta notis.

GALATEA.

Atqui ego nacta tamen, quantumvis candida, qualem
Doris amatorem vellet habere sibi.
Nullaque de vobis quam vel miretur agaso est,
Vel pastor vel quam portitor ullus amet.
Atque alia ut taceam, cantat Polyphemus, in omni
Et calami et citharae doctus et arte lyrae.

DORIS.

Mitte haec, diva, precor: cantantem audivimus, in te
Pruriret nuper quum malesanus amans.
Verum, o sancta Venus! rursum in certamine Phoebum
Excire obstreperus Marsia visus erat.
Quin ter credideram silvis audire rudentem
Vicinis asinum, ter Polyphemus erat.
Ipsiusque lyrae corpus iurare volebam
Cervinum nudis ossibus esse caput.
Cornua nam exstabant cubiti de more recurvi.
Quis putet hic hominem, quis putet esse lyram?

Tum

Tum vero inductis fidibus speciosus amator,
Nec iungens sinui barbara monstra lyrae,
Nescio quid tandem durum et stridebat agreste,
Observant partes dum lyra voxque suas;
Sic, uti non fuerit de cunctis ulla deabus,
Quae posset risus aut cohibere iocos.
Quid, quod et ipsa quidem non est dignata boanti
Respondere Echo, garrula nympha licet:
Credo, deam puduit si forte audita fuisset
Reddere stridentes ridiculosque sonos.
Quin ulnis ursae catulum formosus amator
Gestabat, lusus deliciasque suas.
Hirtus erat totus, quo, credo, gratior illi,
Quod similis setis et feritate fuit.
Quae tibi non istum talem, Galatea, maritum
Invideat? quaeve hunc non velit esse suum?

GALATEA.

Ergo tuum nobis sit qui formosior, eia,
Monstra, et qui melius voce lyraque canat.

DO.

v. 82. *Nec iungens sinui barbara monstra lyrae.*] Apud Lucianum nunc legitur οὐδὲ κόλλοπι περιστρέψας, *haud tendens clavicula citharam*, sed olim legebatur κόλπῳ, quod h. l. sequitur poëta, sensu parum commodo.

v. 84. *Observant partes dum lyra voxque suas.*] Contrarium prorsus dicit Lucianus ἄλλο μὲν αὐτὸς βοῶν, ἄλλο δὲ ἡ λύρα ὑπήχει. An fortasse Secundus scripsit *obversant?* licet illud minus Latine dictum foret.

v. 91. *Quin ulnis ursae catulum*] Festivius apud Theocritum et Ovidium Polyphemus Galateae servat duos ursae catulos.

DORIS.

Nullum habeo, fateor, nec eo me nomine iacto,
Ac si sim multis sollicitata viris,
At vero talem, qualis Polyphemus, amantem,
Totus qui saniem, totus ut hircus olet,
Quique infelices funesta ad litora pulsos
Devorat, hunc habeas, hunc adamesque tibi.

Talia sunt, nymphas retulit quae fama marinas
Multa per alternas dicta dedisse vices.
Quid iam, quid coecum non posse putamus amorem;
Te quoque formosum si, Polypheme, facit?

v. 107. *Quid iam, quid coecum cet.*] Theocr. Id. VI. v. 18.

ἦ γὰρ ἔρωτι
Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.
o Polypheme,
Quae minime sunt pulcra, ea pulcra videntur amori.

Horat. L. od. 33. v. 10.

Sic visum Veneri; cui placet impares
Formas atque animos sub iuga ahenea
Saevo mittere cum ioco.

VII.

DIALOGUS LUCIANI, POLYPHEMI ET NEPTUNI.

Orbatus caro Polyphemus lumine quondam
Dum cuncta in tenebras sensit abisse nigras;
Litus, oves, sese, montem, mare, denique flammas,
Ipsaque luciflui plaustra corusca Dei,
Flebilis obscura titubans errabat in Aetna,
Incusans homines, sidera, fata, deos.
Annosam tandem pinum tellure revellit,
Ad mare vicinum qua duce tentat iter.
Iamque propinquat, et id madido pede denique sentit;
Mox oculum liquidis sanguine purgat aquis:
Murmura Neptunus quum forte iu fluctibus imis
Audiit, et moto protulit amne caput.
At vero natum exstincto dum lumine cernit,
Exclamans genitor litora dira petit:
Protinus agnoscens Polyphemus voce parentem,
Sic sua cum gemitu tristia fata refert.

PO-

DIALOGUS LUCIANI.] Est hic marinorum dialogorum secundus T. I. p. 291. Hemst. sed eum hic illic ex Homeri Odyss. IX. dilatavit poëta.

v. 3. *Litus, oves* cet.] Vide dicta ad L. III. el. 13. v. 24.

v. 7. *Annosam tandem pinum tellure revellit.*] Ovid. M. XIII. v. 782.

Cui postquam pinus, baculi quae praebuit usum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis.

POLYPHEMUS.

O mihi nequidquam pater, o mihi saepe vocate!
Hospite ab infando quae modo damna tuli!
Qui mihi fallacis propinans munera Bacchi,
Praeripuit sensus, praeripuitque pedes;
Donec in obscuris posita cervice cavernis
Prostratus somno languida membra dedi.
Hic me crudelis vina inter iniqua sepultum
Furtim adit, atque oculum, heu, vecte mihi terebrat.

NEPTUNUS.

Quis vero, tales potuit qui sumere poenas,
Quisve ausus tantum est heu, Polypheme, nefas?

POLYPHEMUS.

Esse sibi nomen N e m o, mihi dicere primum;
Ast ubi caeruleas nave secabat aquas,
Iamque procul nostris fertur securus ab oris,
Et nullos arcus, spicula nulla timet;
Tum demum insultans ter se iactavit U l i x e m;
Et dedit haec nostris ultima dicta malis:
« Sic-

v. 20. *Praeripuit sensus praeripuitque pedes.*] De huius versus numero vide Burmannum ad Lotich. p. 22 et 484. Ceterum apud Lucianum Polyphemus hic simpliciter dicit: ὦ πάτερ, οἷα πέπονθα ὑπὸ τοῦ καταράτου ξένου· ὃς μεθύσας ἐξετύφλωσέ με, κοιμωμένῳ ἐπιχειρήσας, quae profecto maiorem habent emphasin, quam haec Secundi paulo post repetenda.

« Siccine debueras socios, o perfide Cyclops,
 Dentibus imbellis dilacerasse viri?
Si neque nos, neque mortales, scelerate, timebas,
 Debebas superos at metuisse Deos;
Debebas metuisse Iovem, qui cuncta videbat,
 Praesens hospitibus qui favet usque suis:
Ergo tibi fluidi putrescet luminis orbis,
 Et fiet corvis forsitan esca nigris.
Sic meruit lusisse Iovem, Neptunie. Nunc i,
 Crede tuum quidquam prae Iove posse patrem."
Talia dum iactat magno temerarius ausu,
 Improperatque eadem non semel ille mihi,
Ira subit mentem, partemque cacuminis alti
 Avello, extremis ultima tela malis;
Et quum te, genitor, supplex in vota vocassem,
 Ut regeres ventis pondera missa tuis,
Ad sonitum vocis corpusque et brachia torquens,
 Mandavi rapidis saxea tela notis;
Arrectusque diu stabam, post tempora longa
 Quum dedit ingentem gleba relapsa sonum,

Et

v. 33. *Siccine debueras* cet.] Sunt Homerica v. 475. ss.

v. 41. *Neptunie*] *Neptunius* probum est epitheton optimis scriptoribus usurpatum, sed iunctum tantum rebus, *Neptunia iura*, *aequora*; quin recte dixeris *Neptunia proles*: sed num recte dicas *Neptunius* patronymice, etiamsi subintelligas *filius*, addubito: dubitabat insuper de hoc vocativo Hadr. Marius frater in epist. quam exhibet Burm. Syllog. Epist. T. II. p. 210.

v. 44 *Improperat.*] Obiicit, verbum cadentis Latinitatis, sed quod olim legebatur in editt. Plauti in Rudente III. 4. v. 28. Vid. vv. dd. ad Petron. cap. 38.

v. 52. *Gleba.*] Eruditius, pro *massa*, ut *gleba marmoris* ap. Plin. XXXVI. 6. Conf. Barth. ad Statii Theb. VI. 60.

Et quantum audire e trepidorum voce licebat,
Navem sub tumidas pondus agebat aquas.

NEPTUNUS.

Iam scio quem dicas: nimirum Ithacesius ille est;
Qui modo ab Iliaca navigat urbe domum.
Sed quînam potuit, quînam hoc est ausus Ulixes,
Iam pridem timidum quem mihi fama refert?

POLYPHEMUS.

Iam saturis ovibus viridantia prata relinquens,
Ducebam niveum post mea terga gregem;
More meoque ibam nota, heu heu, pronus in antra,
Conscia tam mìseri non prius antra mali:
Quum subito apparet multorum turba virorum;
Quid? nisi divitiis insidiata meis?
Hic ego mox aditum, ne quisquam evadere posset,
Claudebam, tacita gaudia mente fovens:
Namque mihi tales olim servatur in usus
Maxima, non ullis petra movenda viris.
Inde ornum flammis duram crepitantibus uro,
Aetna revertenti quam mihi forte dabat.
Tum vero metuens, tentati et conscia furti
Visa sibi est latebras quaerere turba nocens.
Corripui quosdam: nam quidni? nempe latrones:
Et data sunt stomacho corpora pauca meo:
Quique sibi nostras praedam, Neptune, futuras
Crediderant pecudes, praeda fuere mihi.
Protinus hic, seu Nemo fuit, seu dirus Ulixes,
Coepit versutos mente agitare dolos:

Et mihi nigrantis falsa sub imagine vini
Nescio quae misero pharmaca mixta dedit;
Pharmaca grata quidem, fragrantia, dulcia, verum
O pater insidiis pharmaca plena malis.
Vix summo tetigi labro, et iam cuncta rotabant,
Imaque pars antri visa suprema fuit.
Quid multis? solita spoliatum mente iacebat
Corpus, et exanimis iam mihi visus eram:
Quum volucer Stygiis allapsus somnus ab undis
Percussit ramo tempus utrumque suo.
Non procul a mulctra viridis mihi forte iacebat
Nuper in exitium clava resecta meum.
Hanc illi incidunt, minima sibi parte retenta,
Atque acuunt magna sedulitate simul.
Mox etiam vectem flammae involvere relictae,
Et penitus nobis ignea tela parant.
Sic illi ignitum multo molimine fustem
Intorquent oculo terque quaterque meo;
Donec inaudito ligni stridore praeusti
Excitus, manibus tela revello meis.
Sic tibi, care parens, nimirum tempore ab illo
Lumine privatum iam Polyphemon habes.

NEPTUNUS.

O quam Letheus penitus tua pectora somnus
Presserat, ut tales dum struit ille dolos,
Dum vectem magno molimine circumvolvit,
Dumque in summo oculi cortice totus erat,
Non vel tum somno fueris turbatus ab alto?
Iam tulerat coeptis praemia digna suis.

Quamquam non video quo pacto evaserit antrum
Impius, et dentes, mi Polypheme, tuos.
Haud etenim inmanem petram ille removit, opinor,
Quam memini vires exsuperare meas.

POLYPHEMUS.

Ipse ego, seu demens, seu sic mea fata volebant,
Amovi iratis pondera vasta Deis,
Sic ratus, ut nostris cupiens exire cavernis
Incideret digitis obvia praeda meis.
Ergo fores iuxta manibus venabar apertis,
Sed non auspiciis, Delia magna, tuis.
Interea pecudes nullo pastore vagantes
Carpere per valles pabula grata sino;
Sic heu, sic dicens: aries, mea prima voluptas,
Tu subeas domini munia nota tui.

NEPTUNUS.

Mirum, ni pecoris latitans sub vellere denso
Illusit coeco turba dolosa viro.
At tu debueras fidos vocitasse sodales,
Quos alios centum litora curva tenent.

POLYPHEMUS.

Id feci, et notis subito clamoribus acta
Venit in auxilium turba parata meum.
At postquam insidias quisnam struxisset iniquas,
Et cuperent tanti nomina nosse viri,
Atque ego dixissem: Nemo mihi talia struxit,
Nemo fuit, Nemo qui mala tanta dedit.

Cor-

Correptum insolito miserum rata turba furore,
Illusit nostris insuper ipsa malis;
Atque abiit, fratremque suum male liquit inultum.
Nomine sic lusit me, pater, ille suo.
Et, male prae cunctis quod adhuc praecordia mordet,
Ut tenuit medias iam sceleratus aquas,
Multa mihi improperans illud post cetera dixit:
Non te sanabit vel pater ipse tuus.

NEPTUNUS.

Forti animo fac, nate, feras: ego lumen ademtum
Quamvis non possim restituisse tibi,
Vel servare tamen pelago, vel perdere nantes,
Arbitrium faxo me penes esse sciat.

Sic questum quondam natum festiva vetustas
Tradidit, et contra sic retulisse patrem.
Qui talis, qui tantus erat, qui mersit in alvum
Efferus omnigenûm millia multa hominum;
Qui natus, Neptune, tuus, qui denique centum
Fratribus indomitis saevior unus erat,
Non potuit superare dolos unius Ulixis,
Non potuit vires vincere, Bacche, tuas.

VIII.

EPITHALAMIUM.

Hora suavicula et voluptuosa,
Hora blanditiis, lepore, risu,
Hora deliciis, iocis, susurris,
Hora suaviolis, parique magnis
Cum Diis et Iove transigenda sorte,
Hora, qua poterat beatiorem
Nec Cnidi dea sancta polliceri,
Nec qui cum pharetra pererrat orbem,
Curis gaudia delicata miscens,
Penna splendidus aurea Cupido;
Magni pronuba nec soror Tonantis;
Nec qui floridulas Hymen puellas
Raptas e gremio tenace matrum
Involvit cupidis viri lacertis,
Rupis incola floriger canorae; —

Ad-

EPITHALAMIUM.] Epithalamium hoc, quod simili lusu aemulatus est Ian. Broukhusius, habet quod fortasse castas Catonum aures offendat, sed in suo tamen genere longe praestat insulsis Barthii et Lipsii ex eodem genere carminibus, ac, nisi nimis graves esse velimus, nihil continet, quod non praeferendum sit ambiguitati hominum male pudicorum. Quid? quod ne Grotium quidem puduit licentiores hos sonos lyra sua elicere? Vide eius Poëm. p. 200. Simile argumentum tractavit etiam haud infestive Bonefonius in Pervigilio Veneris.

v. 15. *Rupis incola floriger canorae*] Male in editt. Scriveri post *lacertis* punctum maius ponitur: *rupis incola* est Hymen, vide ad L. I. el. 11. v. 23. *Advecta est* refendum ad superius *hora*.

Advecta est serie rotante coeli.
O felix iuvenis, puella felix!
Felix sponse, cui cupita flamma
Iam nunc in geminis quiescet ulnis,
Puella aetheria beata forma,
Qualem magna Venus, velitque Iuno,
Et quae casside Martia refulget
Sancto vertice procreata Pallas,
Si iunctae statuant adire valles
Umbrosas iterum virentis Idae,
Qua spectanda vel haec, vel haec, vel illa,
Quovis iudicio superba malum
Victrix aureolum reportet astris.
O felix iuvenis, puella felix!
Felix sponsa, cui cupitus ardor
Affusus modo lectulo in beato,
Stringet colla tenacibus lacertis,
Insigni iuvenis venustus ore;
Istis qui roseis tuis labellis,
Istis qui niveis tuis papillis,
Isto qui rutilante crine tactus,
Isto lumine qui loquace victus,
Iam pridem tacito voratur igni,
Lentumque increpat usque et usque solem,
Tardamque invocat usque et usque lunam.
O felix iuvenis, puella felix!
Votis, fervide sponse, parce votis,
Et suspiria mitte, mitte questus,
Tempus accelerat suäve; mitis

Ex

Exaudit gemitus Venus suorum.
Condit Cynthius ora, condit ora,
Seque gurgite perluens Ibero
Cedit noctivagae locum sorori;
Et quo gratior haud relucet ignis
Coniunctis animis amore dulci,
Producit caput, emicatque coelo
Ductor Hesperus aureae catervae.
O felix iuvenis, puella felix!
Iam virgo thalamum subibit, unde
Ne virgo redeat, marite, cura.
Iam virgo niveis locata fulcris
Adventum cupiet tuum, tremetque,
Perfusa ingenuo pudore malas.
Forsan. et lacrymis genae madebunt,
Et suspiria fundet et querelas:
At tu nil remoratus et querelas,
Et suspiria lacrymasque tolles,
Abstergens oculos tuo ore, dulce
Murmur pro querimoniis reponens.

O

v. 49. *Et quo gratior haud relucet ignis.*] Similis est locus Claudiani in Neptiis Honorii et Mariae v. 99.

Attollens thalamis Idalium iubar
Dilectus Veneri nascitur Hesperus,
Iam nuptae trepidat sollicitus pudor;
Iam produnt lacrymas flammea simplices.
Ne cessa, iuvenis, cominus adgredi.

Verecundiam hanc nuptialem ἐρατὰν αἰδῶ vocat Pindarus Pyth. IX. 13. Conf. Statii L. I. Silv. 2. v. 12.

v. 64. *Murmur pro querimoniis reponens.*] De quantitate syl-

la-

O felix iuvenis, puella felix!
Ergo membra ubi virginis decorae
Felix candida lectulus fovebit,
Membra languidulo parata somno,
Et molli quoque te toro locatum
Supra purpureos beata reges,
Supra constituet Iovem Dione;
Mox te blandidicis parare rixis,
Mox te molliculae parare pugnae
Motus occipies calore iusto,
Belli prospera signa non cruenti
Figens mille protervus hic et illic
Collo basia multa, multa malis,
Labris basia plura, plura ocellis.
Repugnabit, et improbum vocabit,
Et dicet, satis est, tremente voce,
Arcebitque manu proterva labra,
Propelletque manu manum protervam.
O noctem ter et amplius beatam!
Pugnet strenua, pugnet illa; pasci
Pugnando teneri volunt amores.

Pu-

labae mo dubitabat Nic. Grudius in epistola saepius memorata p. 211. sed sine causa.

v. 85. *Pugnando teneri volunt amores.*] Claudian. l. c.
Ne cessa, iuvenis, cominus adgredi,
Impacata licet saeviat unguibus.
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblaeos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, et timeat rubos.
Amat spina rosas; mella tegunt apes;

Pugnando tibi duplicatus ardor
Vires sufficiet novas in arma.
Tunc per candida colla, tunc per illud
Quod certat ebori nitore pectus,
Nunc per crura tenella, perque ventrem,
Et quae proxima sunt et huic et illis

Sal-

Crescunt difficili gaudia iurgio,
Accenditque magis quae refugit Venus.
Quod flenti tuleris plus sapit osculum.

De hac puellarum pugna, et in primis de capillorum laniatu, quando vinci pugnando velint, vide Ruhnkenium in Epist. Crit. I. p. 72. ss. quem eo lubentius hic citamus, quod tanti viri auctoritate tuti ad illum provocabimus, si quis paulo morosior et poëtae et eius editori ob haec procaciora succenseat. Liceat igitur cum Secundi carmine conferre finem Epithalamii Laurentii, auctore sive Claudiano sive alio quodam, quod in edit. Claudiani Burmann. exstat p. 1007.

Ite pares, tandemque toro recubate potito.
Mellea tunc roseis haerescant basia labris,
Et compressa suis insudent pectora membris,
Per niveosque humeros, cultumque per os...
Dextera cervicem roseam subiecta retentet,
Turgentesque simul constringat laeva papillas.
Vivite felices, quam longaque carpite secla.

ubi hiatum Heinsius complet *cultumque per osque genasque.* Iuvat quoque adscribere versus Claudiani loco supra laudato v. 116.

Tam iunctis manibus nectite vincula,
Quam frondens hedera stringitur aesculus,
Quam lento premitur palmite populus.
Et murmur querula blandius alite
Linguis adsidui reddite mutuis,
Et labris animam conciliantibus
Alternum rapiat somnus anhelitum.
Amplexu caleat purpura regio.

 q.

Saltu volve agili manum salacem;
Et tot millia iunge basiorum,
Quot coelum rutilos tenebit ignes.
O noctem quater et quater beatam!
Nec desint tibi blandulaeque voces,
Et quaecumque iuvant perita verba,
Nec cum murmure sibili suäves,
Quales dant Zephyro sonante blandum
Frondes; quale colymba, quale cygnus
Annosus moriente spirat ore:
Donec victa potentibus sagittis,
Et coeco pueri volantis igne,
Paulatim minus et minus severa,
Ponet purpureum toro pudorem,
Collum in brachia nexuosa dedens,

Col-

q. l. *purpura regio* est, qui Bonefono dicuntur *Cupidinis hortuli* et

Cypridis aurea vireta,
Vere perpetuo hortuli virentes.

Eiusdem incudis sunt illa Io. Iov. Pontani in carmine ad Alphonsum ducem:

Idem cum tenero in sinu recumbis,
Componisque genas genis, manusque
Haeret altera collo, et altera illas,
Quas partes pudor abdidit, retractas;
Mox post murmura, mutuosque questus,
Post suspiria et osculationes,
Imis cum resolutus a medullis
Defluxit calor, et iacetis ambo
Lassi, languidulique fessulique —
Dic, dux maxime, dic, beate amator,
Non sordent tibi regna? sordet aurum?

Collo brachia nexuosa stringens.
O noctem quater, o quater beatam!
Tunc tunc oscula delicata sumes,
Nullis contemerata quae rapinis
Haerebunt vario morata nexu.
Tunc lusus similes, paresque virgo
Reddet delicias, et os hiulcum
Iam pridem patulo licenter ori
Committens, animae libidinoso
Fragrantis cupidum beabit haustu:
Mox lusu quoque molliore ludens,
Dicet blanditias suäviores,
Emittet digitos licentiores,
Finget nequitiam salaciorem.
O noctem nimis et nimis beatam!
Tunc arma expedienda, tunc ad arma
Et Venus vocat, et vocat Cupido:
Tunc in vulnera grata proruendum.
Huc illuc agilis feratur hasta,
Quam crebro furibunda verset ictu
Non Martis soror, sed amica Martis
Semper laeta novo cruore Cypris.
Nec quies lateri laborioso
Detur, mobilibus nec ulla coxis:
Donec deficiente voce anhela,
Donec deficientibus medullis,
Membris languidulis, madens uterque
Sudabit varii liquoris undas.
O noctem nimis, o nimis beatam!

Sudate ut libet, et diesque longas,
Noctesque exigite impotente lusu.
Et brevi date liberosque dulces,
Et longo ordine blandulos nepotes,
Quae vobis senii minuta turba
Olim sollicitos levabit annos,
Arcebit querulos toro dolores,
Languentum tremulos fovebit artus,
Componet tumulo pios parentes.
O felix iuvenis, puella felix!

v. 140. *Minuta turba.*] Vide ad L. I. epist. 2. v. 50. et confer dicta ad Od. V. v. 20.

I X.

CATHARINA HENRICO VIII. REGI ANGLIAE.
(Auctore Franc. Mario Molsa.)

Scilicet hoc titulis deerat, Rex maxime, nostris,
Coniugio pactam non tenuisse fidem;
Et quae nos sancti vinxerunt foedera lecti,
Pellicis indigno posthabuisse toro.
Di bene, longinquis tantum quod saevus in oris
Adgrederis dira conditione nefas.
Haec semota orbi vasto tibi regna secessu,
Cinctaque dant animos fluctibus arva truces.
Est aliquid, fateor, ventos audire furentes,
Et quae perpetuo murmura pontus habet.
Lar-

CATHARINA HENRICO.] Legitur haec epistola inter Carmina Poëtarum Italorum a Toscano collecta T. I. p. 44. Respondet illi Henrici nomine Secundus epistola sequente.

Larga tui quocumque olim se audacia iactet,
Ingenio similis diceris esse loci.
Non sic Penelopen Ithaca digressus Ulixes
Abrupto potuit linquere coniugio.
Illum non saevae mutarunt pocula Circes;
Tristia nec longae tempora militiae.
Sed divûm acceptus mensis, et divite lecto,
Praetulit his vultus, Penelopea, tuos.
Cumque olim posset coelestia templa tenere,
Maluit optato coniugis ore frui.
Affixam saxis patriam sic maximus heros,
Parva lapis quamvis nil nisi nudus erat,
Praetulerat coelo, longis erroribus actus,
Ut posset casto membra levare toro.
At mihi nescio quae titulis non aequa maritis,
Subducit lecti dulcia vincla mei;
Possidet et stupro dotalia regna nefando,
Et gerit in gremio commoda nostra suo.
Tu tamen, hanc falso praetexens nomine culpam,
Iam famae narras consuluisse tuae.
Et fratris mihi saepe torum, taedasque priores
Obiicis, et vani nomina coniugii;
Cui quondam primis fueram desponsa hymenaeis,
Concordi, heu, nimium nupta futura domo.

In-

v. 22. *Parva lapis quamvis nil nisi nudus erat.*] Quamvis parvâ nil nisi lapis nudus erat. Versus parum elegans, inquinatus insuper vitio Grammatico, siquidem *quamvis* semper coniunctivum post se habet.

v. 31. *Et fratris mihi saepe torum, taedasque priores Obiicis.*] Hunc fuisse praetextum praecipuum dissolvendi matrimonii notum ex historia. Vide Humium c. 30.

Invidere meis contraria numina votis,
Numina ad humanas semper avara preces.
Nam ruit ad taedas properans dum laeta iuventus,
Araque Corycio fulget odora croco,
Illibata tibi linquens sua gaudia manes
Ante diem indigno funere mersus adit.
Sic fratri frater, sic taedis impia flamma,
Sicque toro obrepsit igne micante rogus.
Crede mihi, vanas frustra te vertis ad artes,
Si speras tantum posse latere scelus.
Arbiter ipse orbis Clemens, quo sospite terris
Pax viget, et sancto reddita iura foro,
Criminis admonitus tanti, crudelia, dixit,
Vota foves nostro terra aliena solo.
Priscorum et volvens veneranda volumina patrum,
Subscripsit causae Maximus ille meae.
Perge pater, sanctique pius defende pudoris
Vincula, non ulli dissoluenda viro.
Ipse deûm genitorque et rerum summa potestas,
Cuius finitimum crederis esse caput,
Hoc ipsum ut strueret, taedas celebrasse iugales
Dicitur, et pictis accubuisse toris:
Pocula cum pingui mutans Acheloïa musto,
Cessit ab humana conditione procul.

Sci-

v. 39. *Illibata tibi linquens gaudia.*] Hoc enim argumento utebatur Catharina, primum matrimonium concubitu non esse consummatum, quod tamen plerumque in dubium vocatur.

v. 45. *Arbiter ipse orbis Clemens.*] Clemens VII. Pontifex Max. qui tamen valde inconstans fuit in omni hoc negotio.

Scilicet has leges, aeternaque foedera sanxit,
Antiquata meo ut coniuge nulla forent?
Et quae compositis laudaverit ipse libellis,
Improbet inconstans, dissimilisque sui?
Illuvies Germana tume, neu cede furori,
Cui per quem periit surgere posse licet.
At non ipsa fori discrimina saeva recuso,
Iudicis innocuus non timet ora pudor.
Non ego sortitus vereor, non ferrea iura,
Te quaesitorem mi licet urna ferat.
Sed tibi nullus adest aequus, te iudice, iudex,
Et praeiudicio concidis ipse tuo.
Posterior causa sic me iam saepe priorem
Arguis, atque artes deficiuntque doli.
Ipsae etiam, quae te circumstant, perfide, gentes,
Et populi, lata quos ditione premis,
Libera si detur tantum nunc copia fandi,
Te memorant sacram conscelerasse fidem.
Atque odiis forsan consurgant undique iustis,
Hisque tuis animis praemia digna ferant,
Diraque devotum poscant ad proelia regem,
Aut celeres properent in tua fata manus.
At tu quam praefers saevo male saucius arcu,
Dum censes animo cuncta licere tuo?

Nem-

v. 64. *Cui per quem periit surgere posse licet*] Antea Henricus epuratae religionis in Germania defensoribus adversarium se praebuerat, cum iam ipsi Pontificio imperio grave damnum infligeret.

Nempe illam, nostros quae comere sueta capillos,
Saepius abrepta vulnera sensit acu.
Quae nobis toties liquidis vestigia lymphis
Permulsit, dura nec satis apta manu.
Credita cui fuerat lecti custodia nostri,
Cum te non puduit dicier esse meum.
Forsitan hic referas veteres Briseidos ignes,
Et Telamoniadae corda subacta ducis.
Thessalus ast forma Briseidos arsit Achilles,
Et Tecmessa toro principe digna fuit.
Altera divini numeris insignis Homeri,
Nota Sophocleis altera carminibus.
Nunc te quae moveat facies, quae gloria morum,
Dispeream, si tu dicere, saeve, potes.
Saepe tamen cur sim tibi idonea visa, requiro,
Quam duris perstes ludificasse modis.

Dum-

v. 91. *Thessalus ast forma* cet.] Confer Horatium:

Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem.
Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae;
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta.

Burm. Ratio, qua in seqq. utitur Catharina, prorsus ridicula est. Quidni enim suos vates habere potuit etiam Anna Bolenia?

v. 98. *Quam duris perstes ludificasse modis.*] *Ludificare* licet Plauto, Terentio, aliisque veteris aevi scriptoribus sit usitatum, ex poëtis tamen Elegiacis verbi exemplum desidero, sed notae melioris: auctoritatem enim non meretur Maximianus, seu Pseudo-Gallus El. V. v. 92.

Atque aestus animi ludificare mei. Burm.

Dumque memor repeto priscorum nomina avorum,
Vix capiunt magnos atria longa duces.
Caesare nil maius dederant pia numina terris,
Huic tamen e nostro est sanguine ductus honos.
Quid tibi nunc magnis referam me regibus ortam?
Aut iactem antiquae nomina clara domus?
Una mihi mater titulus Isabella, genusque
Una parit, ceras implet et una graves
Quae quondam calathos, telasque exosa Minervae,
Martia femineâ sustulit arma manu.
Moxque suâ fractos sensit sub cuspide reges,
Caesaque captivos terga dedisse viros.
Exuviis hinc aucta novis, hinc aucta triumphis,
Addidit imperio sceptra superba suo,
Evectae donec coeli super ardua virtus
Condidit in victo parta sepulcra solo.
Testis Aras, Sicorisque, vago qua praenatat alveo
Terra potens, fulvi testis et unda Tagi.
I nunc, atque tuos nostris componere reges
Aude: compositis femina maior erit:
Imparibus ni forte ferox te in foedera vinclis
Deceptum quondam nostra venire putes.
Ire per aeternos placuit mihi matris honores,
Sim licet ipsa uno Caesare fulta satis.
Qui tamen es tu, quem nostri sic poenitet oris,
Congressu ut perstes abstinuisse meo?
Reginam thalamis qui sic excludis? et ipsa
Connubii exagitas iura, fidemque premis?
Tecum ego florentes potero sic turpiter annos
Exegisse, doli nec meminisse tui?

Aut ego te in castum polluto corpore florem
Invasisse viri nomine sustineam,
Pellicis ut vano tandem correptus amore
Exsultes spoliis, impie, virgineis?
Ipsaque caeruleis sim fabula nota Britannis,
Et vivo vivens sic ferar orba viro?
O mihi terra satis quaenam nunc ima dehiscat:
Quodque petat summâ hoc fulmen ab arce caput.
Debueram natae iugulo demissà cruoris
Flumina luminibus supposuisse tuis,
Et patriis artus sparsos apponere mensis,
Obiicere et saevis viscera nostra lupis.
Sed, quae nulla tibi est, pietas crudelibus ausis
Obstitit, et saevum dextra refugit opus.
Vestra decent tales animorum pectora motus:
Conveniens nostro est mitior ira solo.
Haec potius vivat, plenis et nubilis annis
Matris ad exemplum nubere cauta neget.
Nata vides, patriis genitor te pellere regnis
Nititur: unde gravis sit tibi inusta nota:

Et

v. 140. *Pietas crudelibus ausis Obstitit.*] Imitatur illud Hypermnaestrae apud Ovid. Epist. XV. v. 50.

Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis,
Castaque mandatum dextra refugit opus.

et sic de Catone auctor epigram. antiqui T. I. Anth. Lat. p. 217.

Iussa manus sacri pectus violare Catonis
Haesit, et inceptum victa reliquit opus.

ubi *refugit* substituendum conieci, licet alterum se tueri possit ex Ovidio II. A. A. v. 78. *Et inceptum dextra relinquit opus.* Vide illic patrui notas. Sed *refugit* in cruento facinore aptius verbum est. Burm.

Et matrem fraudare toro, iustisque Hymenaeis,
Heu, nimium turpi victus amore, parat.
Si tamen hic positis mitescat litibus olim,
Saevaque det rapidis vota ferenda notis,
Sola tibi, et tantis servatis sedibus haeres
Suscipias tenerâ sceptra regenda manu,
Tu faciles sine lite toros, sine lite Hymenaeos
Perpetuo summum carmine posce Iovem:
Maternumque animo repetens persaepe dolorem,
In nostro discas cuncta timere malo.
Tisiphone crinem brevibus redimita colubris
Intulit ardentes in mea damna faces;
Obscoenum et carmen diro ingeminans ululatu,
Tristia connubiis omina fudit avis.
Ipsa sacros ignes devovit pronuba Iuno:
Et mihi foedifragâ est zona soluta manu.
Vestra tamen, Superi, si numina laesa reposcunt
Errorum poenas, supplicibusque favent,
Haec loca vi quondam Caesar populatus, et igni,
Saeva iugum doceat aequora vestra pati.
Quodque olim potuere Dei tela horrida Iuli,
Dum furit, et medio fulminat ille mari,
Caeruleo ostendat frustra vos fidere ponto,
Lataque nequicquam fluctibus arva tegi.
Caesaris ista horrent etiam nunc litora nomen;
Quo duce (ni fallor) bis potuere capi.
Ille sibi obiectas ausus transcendere moles
Intentata prius per vada fecit iter,
Et male defensas in praedam fervidus arces
Vertit, et obstantes milite fregit opes.

Sic

Sic ventos sprevit virtus Romana furentes,
Et gressum ignotis intulit aequoribus.
At precibus si quis superest locus, et tua possunt
Inflecti blandis pectora dura sonis:
Deiectas hinc natam oculis, hinc adspice matrem,
Nec pigeat tantis ingemuisse malis.
Aeternum sic laeta viris, sic laeta puellis,
Tellus subiecto floreat ista mari.
Et mala cuncta ferant per terras irrita venti,
Depromsit laeso quae mihi corde dolor.
Quod si sola tuo videor non digna cubili,
Et tristi perstas vivere dissidio,
Nec te iura movent, precibus nec flecteris ullis,
Nec furiis obstat filia parva tuis,
Me duce laeta tuae mittantur nuncia genti:
Henricum titulum mortis habere meae.
Sedibus utque tuus genitor gestire sub imis
Possit, deque tuis surgere nominibus,
Audiat, uxoris spoliis et caede superbum,
Pellicis indigno colla dedisse iugo.
Vos vero ultrices mecum properate Sorores,
Et miserum diris pellite imaginibus:
Ut neque iam dulci declinet lumina somno,
Nec valeat sanae mentis habere modum;
Sed flammis cinctae, quoquo vestigia vertet,
Illuc Tartareâ lumina ferte face.

X.

X.

EPISTOLA HENRICI VIII SUPERIORI RESPONSORIA.

Sensimus, heu, gemitus, et flebile carmen, et iram,
Qualem caeruleus non, puto, pontus habet.
Hei mihi, femineo quae sunt satis arma dolori?
Nunc ego cum magno Caesare bella precor.
Cingite tela caput devotum, cingite flammae,
Et cava fauce globos aera tonante vomant.
Densior externo ruat in me miles ab orbe,
Laomedonteas quam laceravit opes.
Mille ter hostiles impellant lintea venti,
Et mihi perniciem trabs numerosa vehat.
Omnia femineâ me laedent mitius irâ:
Tristius hac Siculae nil habet aula Deae.
Heu, quaecunque meo desedit pectore cura,
Sive fuit fatum, seu malesuadus amor.
Ut, spretis thalamis, quos tot mihi regna ferebant,
Vincula maluerim perniciosa sequi,
Oscula decerpens fraternis debita labris:
Haec venit titulis prima ruina meis.
Dire Puer, facibus funestis acer et arcu,
Et Dea frondosum quae regis Idalium,

Quid

EPISTOLA HENRICI VIII.] Est haec epistola responsoria talis, qualem exspectes a rege, qui ab ipsa causa, quam defendere non possit, deflectens auctoritate sua omnia peragit, brevis et concisus in dicendo, absque tamen ut umquam haesitet. Talis erat Henricus Rex, talem eum finxit poëta, qui me quidem iudice palmam Molsae multis titulis praeripuit.

Quid me collubuit incestis urere flammis?
Dextera cur alibi non fuit ista potens?
Frigida deserto queritur Catharina cubili,
Irrorans tepidis lumina fluminibus.
Desine me lacrymis et te, Regina, necare:
Mitte, nec in vanis spem tibi pone minis.
Hunc cupis amplecti? cui tela minaris, et ignes?
Huic tu blanditias deliciasque paras?
Cuius in exitium tacitis non vocibus armas,
Quaeque mihi tumidas gens iacet inter aquas?
Quaeque iacet circum magno devota nepoti?
Quaeque procul nostrâ de regione manet?
Mirabar matrem funestam caede virili:
Desino mirari, plus feritatis habes.
Istius est animi crudelis volvere motus,
Qualibus est aetas vix violata prior.
Immites oculos tenero satiare cruore,
Membraque sparsa pio ferre epulanda patri.
Non ita vicino mihi duruit aequore pectus,
Nec tales animos dant fera flabra mihi.
Non, tua contemnens, aliena cubilia sector:
Est aliud quod nos arcet ab ore tuo.
Excludunt olim complexibus exoptatis
Germani cineres, tristis et umbra, mei.
Nox erat, et nigrâ velaverat omnia veste,
Haerebam nexis tecum ego brachiolis.

Mem-

v. 25. *Desine me lacrymis et te, regina, necare.*] Cogitabat illud Virgilii:

Desine meque tuis incendere teque querelis.

Membraque languidolo reparabam fessa sopore,
Cum stetit ante oculos pallidus ille meos,
Iniiciensque manus, sunt haec mea gaudia, dixit,
Gaudia fraternâ non bene rapta manu:
Venit in ora color, qualem vix ille gerebat,
Crinis in attonitâ fronte supinus erat.
Da veniam frater, dixi, iuvenilibus ausis,
Et tua iam posthac gaudia solus habe.
Sic te nulla premant onerosae pondera terrae;
Quaque frui vivum non voluëre Dei,
Hanc olim sociam tibi dent in valle beatâ,
Tecum perpetuas ducat ibi choreas;
Quâ nemus Eridani per odorum volvitur unda,
Umbraque sit taedis aemula nulla tuis.
Audiit, et tenues in ventos cessit imago:
Ex illo vetitus est torus iste mihi.
Sunt aliquid manes, et curant multa sepulti.
Nunquid Achilleum flebilis ad tumulum
Regia truncatum proiecit filia corpus,
Ferret ut exstincto gaudia pacta viro.
Non mihi germani rapieris ad alta sepulcra;
O liceat terris te superesse diu,
Et tua felici decurrant stamina fuso,
Dum mihi securus te sine somnus eat.

v. 59. *Qua nemus Eridani per odorum volvitur unda.*] Ex Virgilii VI. Aen. v. 659.

Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per silvam labitur amnis.

Burm.

v. 63. *Sunt aliquid manes*] Propertianum:

Sunt aliquid manes, et mors non omnia finit.

SILVARUM FINIS.

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

FRAGMENTA.

I.

IN LAUDEM UTRIUSQUE CUPIDINIS.

(Maioris operis initium.)

Imberbes pueri, Veneris sanctissima proles,
Ambo aetate pares, auctores foederis ambo;

Am-

In laudem utriusque Cupidinis.] Secundum hoc carmen exorsum fuisse admodum puerum priores versus declarare videntur: atque haec fortasse causa fuit, quod deinde aliis argumentis tractandis occupatus illud non absolverit. Qualis autem puer esse debuit is, qui, has Cupidinum laudes celebraturus, illas e media antiquissimorum philosophorum disciplina exorsus fuerit? Queritur Phaedrus apud Platonem in Symposio, neminem veterum poëtarum laudem Amoris, ut ceterorum Deorum, celebrasse; ac fortasse haec querela poëtam excitavit, ut ipse huius rei periculum faceret: certe quae ibi de utroque Amore, vulgari scilicet, et coelesti, traduntur, imitari voluisse poëta videri potest, licet in hoc fragmento illum tantum amorem celebret, quo omnia in mundo animantur, formantur, aluntur. Ipse autem Amor quam magnam in vetere Theologia personam sustineat, in vulgus notum est. Vide Pierson. Verosim. p. 110.

v. 1. *Veneris sanctissima proles.* De Amoris parentibus vid. Valc.

Digitized by Google

Ambo arcu, pharetraque ambo, iaculisque decori;
Crinibus insignes flavis et corpore nudo:
Quorum hunc silvarum sub ramis Elysiarum
Vallibus in riguis enixa est mater: at illum
Flammantes inter fornaces edidit Aetnae:
Vestra ego regna cano: cantanti adsistite vati!
Nec citharam si forte mihi, puerilibus ausis,
Ereptam manibus dubio pulsabitis ictu,
Increpitans indignabor: vos psallere laudes
Fas o sit vestras! nec erunt mihi vestra pudori,
Carmina; sed nec erit vobis mea Musa pudori.
Qualia vos canitis, et ego quoque talia canto
Ore tener parvo: poteruntque admixta Camenis
Vestra meis aures incautae fallere plebis.
Post Chaos et veterum discordia semina rerum,
Omnia quaeque utero gravidae Telluris aluntur,
Quaeque super vasta discurrunt aetheris ora,
Quaeque meant subter versi per devia mundi,
Quae videt exoriens, et quae videt occiduus Sol,
Quae-

Valcken. in Diatr. ad Eurip. fragm. c. XV. ubi tamen quae de Dione, Veneris cognomine, habet vir magnus adversari videntur iis, quae dixi ad L. I. el. 11. v. 43.

v. 7. *Flammantes inter fornaces edidit Aetnae.*] Ad hunc locum Amoris natalem alludit quoque L. II. epist. 6. v. 49. Hoc tamen, quod sciam, veterum opinione non nititur.

v. 17. *Post Chaos — Aeterno consensu et dulci pace ligantur.*] Apud Platonem in Symp. p. 177. ed. Bip. ex Hesiodo narratur, post Chaos statim exstitisse Tellurem et Amorem, et e Parmenide hic versus citatur:

Πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

Quaeque quatit Boreas, et quae rigat humidus
Auster,
Aeterno consensu et dulci pace ligantur,
Longumque unanimi solantur amore laborem.
Ni facerent, Tellus imbri pulsata negaret
Condere visceribus fecundae munera lymphae.
Illa graves silvas, montesque et grandia saxa
Ex-

v. 25. ss. *Ni facerent* cet.] Quae hic de Telluris et Aquae connubio habet poëta alias vulgo tribui solent Aetheri et Telluri coniugibus, de quorum mutuo amore vid. Valcken. d. l. p. 51. Temperare tamen me non possum, quin alia quaedam loca adscribam huc pertinentia, ac primo quidem Euripidis versus, quos nobis servavit Athen. L. XIII. p. 599. F.

'Ερᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅτε ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει,
'Ερᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν 'Αφροδίτης ὕπο.
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταυτὸν δύο,
Φύουσιν ἡμῖν πάντα καὶ τρέφουσ' ἅμα,
Δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Ibidem hos Aeschyli versus recitat Athenaeus:

'Ερᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα·
Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν.
Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν
Ἔκυσε γαῖαν, ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
Μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον.
Δένδρων δὲ τὶς ὥρα ἐκ νοτίζοντος γάμου
Τέλειος ἐστὶ. ———

Neque aliter loquitur Venus apud Papinianum Silv. I. 2. v. 183:

Quas ego non gentes, quae non face corda iugavi?
Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuere greges: ipsum in connubia terrae
Aethera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.
Sic rerum series, mundique revertitur aetas.

Hi

Excuteret tergo impatiens, emotaque ab imis
Sedibus eiiceret longe freta, et impia canus
Coniugis omniparae fleret divortia Nereus.
Bruma recusaret iucundo cedere veri;
Verque sub aestates tepidum produceret annum;
Aestas autumnum fraudaret mitibus uvis;
Autumnus glaciem pro miti redderet uva;
Omnia funestis irent in proelia signis.
Ipsa etiam, longi subito pertaesa laboris,
Confusis irent facibus sine legibus astra;
Cynthia fraterni currus ambiret honorem;
Germanae cuperet nocturnas scandere bigas
Phoebus, et exiguum decurrere mobilis annum;
Imaque Saturnus peteret cum falce minaci
Limina facundi iuvenis; deus Arcas in altum
Tenderet, algentemque senis perrumperet orbem;
Abiiceret clypeum Mavors, oculosque remittens
Fulmineos, hebeti palleret degener igne,
Otia praeponens animoso languida bello;
Arma Venus tenera tractaret Martia dextra,
Ipsumque Aetneo spoliaret fulmine patrem;

Al.

His addam Nic. Grudii versus In Ecloga Narcisso sive de Deorum Amoribus Carm. p. 153. Canit

Utque sua invehitur duplici per marmora pisce
Alma Venus, per quam tellus et pontus et aër
Concipiunt, veniuntque suis nova semina rebus;
Et veniunt dulces vegetis animantibus ignes,
Imaque solliciti irrepunt in pectora motus
Alituumque, hominumque, natatiliumque ferarum,
Quaeque habitant nemus, atque exesa in caute recessus.

Alma parens laceris gemeret Natura capillis,
Atque opus ipsa suum, seque ipsa resolveret in se.

II.

INITIUM MAIORIS OPERIS DE BELLO TUNETANO.

Rursus bella parat Caesar: patientia rursus
Mansueti iuvenis longo devicta dolore est,
Et violata gravem pietas erumpit in iram.
Fervere iam video densis maria omnia remis,
Telluremque armis, coelum splendescere flamma.
Quid tantum, Fortuna, paras? cui fata minantur
Tam dirum excidium? quantove cruore redemtam
Aeternam, Furiae, pacem conceditis orbi?

Rursus bella parat Caesar.] Legitur hoc fragmentum operis maioris, quo res gestas Caroli V. carmine heroico, et praecipue bellum Tunetanum describere inceperat, in epistola Iani Secundi ad fratrem Everardum scripta, edita post Gudianas epistolas p. 382. ubi v. 4. *canis maria omnia remis*, et v. 7. *Fortuna, moves.* Burm. Vide dicta de vita Secundi p. XXXVI. in nota 67.

III.

DE SOLE.

Fons rerum, Sol coelivagus, cui plurimus ora
Fulgor, et intonsos crines flavedine vestit,

Tel-

Fons rerum.] Mire solis epitheta cumulavit auctor Hymni in solem, qui Orpheo vulgo tribuitur, ubi inter alia dicitur

xe-

Telluris magnae speculator et instaurator,
Et ductor toties in se revolubilis anni.

κοσμοκράτωρ et *κυκλοέλικτος*: Aeschylo Prom. v. 91. appellatur *πανόπτης*. Homerus Hymno in Cerer. v. 62. Solem vocat *θεῶν σκοπὸν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν*, et paulo post v. 69. Ceres ita solem alloquitur:

Σὺ γὰρ δὴ πᾶσαν ἐπὶ χθόνα καὶ κατὰ πόντον
Αἰθέρος ἐκ δίης καταδέρκεαι ἀκτίνεσσι.

Idem Iliad. Γ. v. 277.

Ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

quem locum respexit Plin. II. 6. *Hic* (sol) *suum lumen ceteris quoque sideribus foenerat, praeclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi literarum Homero placuisse in uno eo video.* Ovidio etiam Met. XIV. v. 375. audit: *qui pervidet omnia.* Soli hymnum scripsit Marullus p. m. 73*b*. neque inelegans est Hymnus Gallicis versibus scriptus a nescio quo, qui Graecum ineditum carmen se invenisse et Gallice reddidisse fingebat.

IV.

DE RERUM VICISSITUDINE.

Foeta bonis, et foeta malis nova parturit hora
Semper, et adsidue dando nova, quae dedit aufert.
Usus in angusto est: praesentia carpite vitae
Tempora; destituunt iam nos fugitiva, nec est spes
Ulla revisendi: cuncta iisdem in sedibus astra,
In quibus hesterna posuere cubilia luna,....

v. 5. *Ulla revisendi.*] Sic distinxi: in reliquis post *ulla* comma ponitur et *revisendi* perperam cum sequentibus iungitur.

V.

DE SATURNO.

Falx gelidi funesta senis, pecorique satisque,
Et miseris infesta viris, infesta volantum
Tractibus aëriis, fusaeque per aequora turbae.

De Saturno] Haec ad temporis numen pertinere perspicuum est, magis igitur in Graecorum Κρόνον, quam Latinorum Saturnum conveniunt: haec enim numina perperam confunduntur.

DISCRETA QUAEDAM DISTICHA.

Quid concussa sonant tremulis arbusta susurris?
Quod spatium pictae tam breve frondis habent.

Adspirant Zephyri murmur lacrymabile silvis,
Ut plorent viridis tempora fluxa comae.

Quid lacrymosa gemit concussis frondibus arbor?
Tempora frondosi pauca capillitii.

Conqueritur patulae periturum frondis honorem
Garrula collisis silva cacuminibus.

Triste susurrantes arguto murmure silvae,
Arsuras celeri sole queruntur opus.

Arguto madidae turbantur flamine silvae,
Tam cito casuras dum lacrymantur opes.

Ut

Ut cito lapsuras frondes nemora alta querantur,
  Dant moesta argutis murmura de foliis.

Tam cito se picti spoliandam veris honore
  Silva gemit, querulo flamine mota comam.

Tempora fluxa sui suspirat silva viroris,
  Mota susurranti flebilis a Zephyro.

Tam cito languentes queritur flavescere frondes
  Silva, gemescentes turbine mota comas.

Imbre madens, ventoque sonans sub sidere tristi
  Silva gemit, raptas et lacrymatur opes.

ORTUS DIEI.

Iam tenebrae Hesperias nigrae conduntur in oras,
  Flavet ab Eoa parte revecta dies.

Cogitur Hesperias coeli nox omnis in oras,
  Surgit ab Eoo limine flava dies.

Clara dies aderat; fugiunt tenebraeque soporque,
  Et pavor et dubio somnia vana gradu.

CARMINUM IOAN. SECUNDI FINIS.

IOANNIS NICOLAII SECUNDI

ITINERARIA TRIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS SECUNDI

ITER

Macliniâ Biturigos.

CICIↃXXXII.

Ver erat, et canas iterum pertaesa pruinas
Fertilis in viridi veste tepebat humus.
Garrula Dauliadum resonabant arva querelis,
Aequaque nocturnis tempora lucis erant.
Blanda renascentis anni suadebat imago,
Conceptum toties ingrederemur iter;
Visuri populos quos Sequana dividit ingens,
Quique bibunt Ligeris dulce fluentis aquam.

Minore, opinor, cum taedio auditurus es, si dicam: Sub initium mensis Martii iter in Gallias instituí

IOAN. SECUNDI ITER.] Diu dubius haesi num haec itinerararia meae editioni adiicerem, quod fortasse nonnullis minoris momenti videantur. At vicit tandem studium bene merendi de poëta, qui et in his Itinerariis candoris, doctrinae et elegantiae tot specimina dedit, ut vel ipsi Danieli Heinsio digna visa sint, quae publice ederentur. Is enim primus separatim opusculum hoc edidit hoc titulo: *I. S. Hagiensis Batavi Itineraria Tria, Belgicum, Gallicum et Hispanicum: edente nunc primum Dan. Heinsio. Leydae ex officina Iacobi Marci.* CIↃIↃCXVIII. 8vo. Quid autem hic tantus vir censuerit de prosaicis his Secundi scriptionibus, optime intelligas ex epistola eius ad Ianum Lernutium scripta, quam editioni suae praemisit, quamque describere operae pretium visum est:

V.

tuimus. Avulsi itaque a paternis amplexibus, relictis amicis, relictis amoribus, Machnia relicta, urbe deli.

V. C. IANO LERNUTIO SUO
S. D.
DAN. HEINSIUS.

Diu est, quod nec tu ignoras, Iane Lernuti, virorum, quantum usquam vivit, amicissime, idemque clarissime, cum mirificum quoddam ac prope incredibile antiquitatis Ecclesiasticae studium nos cepit. Cui rei dum nuperrime publicam, quae hic apud nos est, Bibliothecam excutio, atque ibi Procopium in octo priores Instrumenti veteris libros, quos Octoteuchum vocant Graeci, Originis Philocaliam item, ac Cyrilli nonnulla, nondum Graece vulgata, aliaque non pauca invenio, quae omnia, ut spero, brevi in omnium manus ex editione nostra perventura sunt: reperi et illud, quod hic vides, opusculum. Auctor eius ille est, cuius tu tantopere ingenium laudare soles, Ianus Secundus ille, cuius Basia, ut nosti, parte quinta eius nectaris Dione imbuit, quo deorum mentes invitare ad lepores et hilaritatem solet; ut omittam reliqua illius, ac praesertim Elegias illas suaves, illas lepidas atque elegantes. Visum itaque est operae, cum prima lectione vehementer nos raperet, studiosis eius viri publice ostendere, quam facetus atque expeditus in familiari genere dicendi fuerit; quam versute ac callide multa notaverit, quantoque iudicio oppida non pauca atque urbes perreptarit. Dicas, nisi quia solutus plane pedibus est sermo, aliquid Lucilii aut Horatii, quorum uterque idem argumentum satyrae aptavit, in his Itineribus spirare. Tibi autem mihi, primo quidem tamquam candido lectori, tum autem accurato iudici: misi autem, ut videas, tui me non modo meminisse, sed absentem quoque in oculis, in animo gestare. Nullis verbis exprimi humanitas divina illa potest, quam in urbe vestra tu, tui, imo ipsa urbs; quae ad elegantiam et venustatis genium, cum mores hominum contemplor, facta mihi semper visa est, nobis saepius exhibuit. Neque ego ista, ut nos noris, improbe dissimulare, aut maligne soleo: quin, ut spero, amplius testabor. Sed in opere, quod curae aliquantum et laboris nostri prae se fert, et hoc pretio diuturnitatem demerebitur. Hoc

hunc

liciosa, Bruxellam primum itinere satis felici, sed pluvioso venimus. Illic cum iis, qui nos deduxerant, amicis coenam et noctem inter vina variosque lusus produximus. Iamque diem gallus nunciabat, cum nostrorum multi noctem nondum exceperant: mox iter continuare coacti, cibo paucissimo potuque, non tam famis aut sitis causa, quam pro more, accepto, equos conscendimus. Illic fratrem, qui nobis in coena adfuerat, Aegidiumque Reims, qui nostra causa Macliniâ advenerat, aegre relinquentes, supremum illis vale saepe acclamavimus: a reliquis extra urbem ad milliaris unius spatium deducti sumus. Urgente tempore et illi nos deserere volentes acceperunt a nobis ea mandata, quae cuique nostrum vel consuetudo dictabat, vel suggerebat affectus. Inde profecti intra duas ferme horas proximam urbem *Halles* videre coepimus; et simul conspeximus, ut fieri solet, damnatorum corpora coeli iniuriis, aviumque exposita contumeliis. Illic primum insi-

nunc scias, qui te, qui ingenium, qui mores illos tuos, meo equidem iudicio non huius, sed alterius cuiusdam aevi, quale illud ἐπὶ Κρόνου *poëtarum natio descripsit, vere aestimet, me esse, ac futurum quam diu vivam. Mi clarissime, ac quantum est rerum amicissime* Lernuti, *vale.* L. B. 1618. 20 Febr. Haec Heinsius, quem ne inter res serias puduit horam dare levioribus studiis, secus ac nostrae aetatis homines quidam, qui sibi magnopere placent, si harum, ut aiunt, nugarum contemtum prae se ferant. Reperta autem sunt haec Itineraria inter schedas Bonaventurae Vulcanii, quae et hodie adservantur in Bibliotheca Leidensi. Vid. Catal. p. 350.

usitato nostris hominibus more fures aliquot e cruce pendentes vidimus. Mox in civitatem delati subter templum constructa caverna sub sepultorum cadaveribus submissi equitavimus. Ea in urbe cum sacerdote humano et iucundo pransi, via satis molesta sub vesperam ad urbem *Sognyes* advenimus; accepti illic non incommode, nec sumptuose. Nocte somno transacta, proxima luce ad *Montes* Hannoniae acceleravimus: sed tardavit nostram celeritatem et via caenosa, et sodalis in primo itineris ingressu casus miserandus ille, nisi gravi omnino infortunio vacasset. Madentem illum et vomentem cum limo iniurias in viam, in se, et deos, ad *Montes* detulimus. Eam urbem singularem plane deliciis amoenitateque reperimus: quin experti sumus et illic eiusdem illius sacerdotis humanitatem insignem. Is eius civitatis incola cum esset, nos illuc secutus fuerat; et prandio quidem nobis alibi peracto, tum post deambulationem iucundam coenae nos suae voluit adesse; et excepit nos non religiose. Eum nos vicissim in diversorio nostro post coenam non omnino rustice eramus tractaturi, nisi nostrorum nobis hospitum defuisset hospitalitas. Vidimus hac civitate novum et infrequens virginum, quod virginum puellarum tutius dicam opinor, religiosarum genus, quae ante prandium quidem divinum

Sognyes] Soignies

num prae se ferunt et sacerdotale: vestitu nimirum hoc testantur; tunc arbitror sacerdotibus vacant solis. Post prandium, reiecta persona, sunt quidvis; ornantur, comuntur, saltant, et credo tunc patent et nobis. In aede harum virginum sepulcrum animadvertimus non inartificiosum, in quo sculpta mortui et iam putrescentis hominis imago iacet, ea specie ut vel vomitum possit excitare: plurimum autem et re docuit, et arte oblectavit. Urbs ipsa praeter aedificiorum magnificentiam decentem, plateas amplas, forum spatiosum, ubi et fons multis e fistulis scatet; praeter alia multa unum habet, quod inter caetera me cepit: civitatis pars quaedam et angulus in montem sublimem adsurgens, cuius vertex spatiosus planities multas habet laeves et lusibus diversis aptas. In his exercere se globo iuventus consuevit; unde et compositissimum in ipsa valle constitutum castellum conspicitur, et amoenissimus in circumiacentes montes et silvas prospectus aperitur. Sequente die ab sacerdote illo, qui nullum humanitati suae modum imponebat, extra urbem producti, et viae compendium ab eodem edocti, mox deinde et alium viae ducem bona fortuna nacti, in pagum applicuimus, cui nomen est *Keverein.* Ibi pransi una cum illo, qui nobis se socium addiderat, viro commodo, conscensis rursum equis, quod reliquum

Keverein.] Kievrain.

quum erat viae ad urbem *Vallencigni* devoravimus citra ullam molestiam. Eam urbem magnificam et ipsam nec inamoenam multis puellis formosis, nigrisque oculis nigroque crine decoris, cum voluptate conspeximus: quin in diversorio quoque nostro unam favente Venere reperimus, quae civitatis Venereae specimen vel sola poterat exhibere. Horologium vidimus in civitatis eius foro amplum, mira arte horas, dies, signa zodiaca, dierum longitudinem, multaque eiusmodi demonstrans: ingressi sumus et templum, quod vetustatem quandam redolebat, ac numine plenum videbatur; lumen admittens quale fere silvae. Multas hic columnas solido e lapide teretes et laeves conspeximus usque adeo ut natae videri potuerint: vidimusque fragmentum statuae non malae. Postero die, commodo satis itinere *Cameracum* devenimus, hora secunda post meridiem: mox deambulare coepimus, ut solemus mature in civitatem aliquam delati. Videre contigit ibi templum partim seculum priscum redolens, partim novitatem nescio quam nostram prae se ferens: qualecumque est autem, Episcoporum defunctorum monumentis longo ordine constitutis, et horologio ipso etiam illo priore excellente magis non potest non esse insigne. Sequente luce perreximus, ad primam Franciae civitatem anhelantes. Ac primo quidem so-

Valencigni.] Valenciennes.

sole purissimo usi, mox insurgescente nebula, paulatim deinde clarescente coelo ad *Roye* pagum delati, ibique pransi mature admodum in civitatem *Han* intravimus. Vidimus eam, licet antiquitatum quoque referentem aliquid, ut omnes fere Galliae civitates, abiectam tamen et vilem, nullaque re magnopere insignem, nisi arce in oppidi angulo constituta, munita vel hoc uno, quod non multum recepto more, in eo fossae margine, quae ab arce semota est, subterraneum longo circuitu tractum habet, unde hostes iam foveam emensi minimo negotio possint a muris deturbari. Subsequente die ad civitatem *Noyon* tetendimus. Ea urbs in vallem demersa, commune aliquod cum nominis sui etymologia pati videtur. Pransi autem illic, et magnificentissime tractati, in diversorio cui Nereidis imago praefixa est, post horas aliquot ad fluvium devecti transmissique nave plana, quam funis ex utraque parte nexus, non usitato quidem apud nos, at commodissimo more dirigebat, mox ad alium fluvium devenimus, in cuius ripa citeriore pagus est: illic quievimus. Postridie transmisso et illo flumine civitatem *Champiegne* ad dextram relinquentes, ad pagum proximum *Verdbrye* appellatum recti tetendimus. Il-

Han] Alias *Ham.*
Flumine] Oise.
Champiegne.] Compicgne.
Verdbrye.] Verberie.

Illic refecti prandio, quod commune nobis fuit cum quodam, qui in Episcopi Noyonnensis familia agebat; homine ut apparebat non illiterato et facundo; deinde ad oppidum *Sainctlis* iter ingressi sumus. Ibi mox pueros numero non paucos in culmine montis cuiusdam excelsi et declivis ludentes conspeximus, qui lucrifaciendae stipis amore, mirum quam miraculoso casu praecipitique vertigine sese devolvant quemcunque velis in modum. Oblectati eo spectaculo ad urbem praedictam silvoso et tum itinere deportati sumus. Sed hic operae pretium est commemorare, quod narratum est in pago *Verdbrye* in adiacente quadam silva brevi contigisse. Femina quaedam forte agrestis, et ex earum numero, quibus vita labore gravi ad longos labores aegre producitur, corraso paulatim tantillo aeris, unde vaccam emi posse putabat, cuius auxilio suam et liberorum vitam posset in miseria minus aliquanto misera deinceps sustinere, per silvam ad mercatum illum videlicet opulentum ibat: cui obvius latro quicquid habebat rei iubebat ut quamprimum poneret. Attonita femina noluit repugnare tam imperiosis precibus, coepit numerare. Ille in terram strato pallio officiosus homo, simulque seposito ense, quod numerabatur, excepit, nescius crudelem ultricem fortunam non procul abesse: femina praesentis ani-

Sainct-lis.] Senlis.

animi, et plus quam femina, occasione captata ensem arripiens, non iam pecuniam amplius, sed vulnera numerare latroni coepit, donec cum sanguine vomeret sceleratam animam. Peracto laudabili facinore, cruentata caede mulier ab latruncularii capta est. Innocentiam suam aegre potuit tueri; donec ad occisi cadaver deductis illis, cornuque, quod apud mortuum erat, inflato, multi notissimo sono exciti, eiusdem crudelitatis socii accurrerent, et occisi dignum interitum, impiam suam cohortem, et mulieris insontem magnanimitatem proderent. Itaque dimissa femina praemio etiam decorata est; illi dignas impietatis suae poenas exceperunt. Oppidum vero praedictum *Sainctlis* postera luce reliquimus, densissima in pluvia acerbissimaque grandine ventoque impetuoso, qui pluviam grandinemque in caput nostrum iaculando malum duplicabat, ad pagum *Louvre* delati sumus: ibi pransi, mox ad insignem Parrhisiorum urbem, nec tum sine tempestate (ut mensis Martius varie est turbulentus) paulo post prandium devenimus via mire difficili. Urbs in vallem depressa est, et propinquum quoque viatorem fallit. Incredibile autem quantum abscondat opum, quantum alat hominum, quantum monstrorum pascat. Sperata illic quiete et refectione, in hospitem incidimus plane morosum. Exutis ocreis deambulari coeptum est. Vidimus senatum magnificum supra modum; Chaos quoddam poteramus imaginari.

Vi-

Vidimus et flavas ubi volvit Sequana lymphas, cet.

Eidem fortunae subiectum aliquamdiu castrum fuit, quod e regione huius in altera fluvii ripa constitutum est, poenasque pro duce Borbonio fuga erepto, ad quem spectabat, exsolvit.

Postridie intolerabilem diversorii nostri incommoditatem pertaesi, conscensis equis abitum simulavimus: cum interim proximam civitatem, quae de $S^{to.}$ *Dionysio* nomen habet, visere constituissemus, contemplaturi illic res multas visu dignissimas, mox deinde Parrhisios repetituri, et aliud diversorium ingressuri, ubi si non melius, peius certe tractari posse non videbamur. In civitate $S^{ti.}$ *Dionysii* commode nacti sumus sacrificum, qui mercedis etiam tum ignotae causa incredibile quantum subibat laboris, quicquid reliquiarum a Divis vel restabat, vel restare pie credebatur, ad clavos usque et lepram summa cum veneratione ostentabat. Huius opera et alia exhibita nobis sunt, quae vidisse poterit taedere numquam.

Hic monumenta tenent longaevis inclyta saxis, cet.

Opus hoc tam insigne non nisi Italica manu nasci potuisse credendum putavimus: id quod mox di-

Vidimus] Sequitur hic carmen, quod legitur L. I. epigr. 72. *In arcem reginae Albae.*

Eidem fortunae] Quod in ruinis sit.

Hic monumenta.] Nec hic necessarium visum est repetere elegiam, quae legitur Lib. III. el. 17.

didicimus; Florentini nimirum esse. Vidimus praeter haec plurimorum regum et magnatum sepulcra; sed quae deinceps sordere debent. Reversi hinc Lutetiam in aliud hospitium divertimus. Mox deambulantes in *Ioachimum Politen*, et *D. Balthasarem a Kleveringhen* incidimus. Hi a nobis ad coenam adducti, postridie nos et coena exceperunt; quibus in nostram gratiam adhibere voluerunt *Bartholomaeum Latomum*, et *Ioannem Swerts* sculptorem, quorum consuetudine non potuimus non oblectari maxime. Noluerunt enim nos illi in civitate aliena peregrinos esse, usque adeo nos domestice tractarunt, magnifice et praeter dignitatem nostram. Cum illis postero die ientati, reliquum iter ingressi sumus. Vidimus autem Parrhisiis aedificium priscum Iulii Caesaris; tum ungulam gryphonis immensae magnitudinis, et alia plurima. A Parrhisiis continuo itinere ad pagum *Chartres* adcurrimus: illinc cum Gallis aliquot ibi repertis prima luce ad *Estampes* oppidulum progressi sumus. In eius civitatis angulo castellum a manu dextra reliquimus in loco civitatis editissimo constructum, non inamoenum, ut apparebat. Diversorium autem illic ingressi cibo refecti sumus, multa a Gallis illis de veteribus querelis audire coacti, non sine miris in nostram gen-

Florentini] Pauli Pontii Tribatii. Vide notam ad dictam eleg. v. 49.

Ioachimum Politen.] Vide L. I. epist. 10.

gentem contumeliis. Digressi longo itinere ad pagum *Tourry* sub horam quartam delati, cum ulterius ire consultum nec nobis, nec equis nostris videretur, ibi quieti nos dedimus. Multa item et in coena Gallorum eorundem periculosa garrulitate confecti: illinc summa luce audito sacro continuo itinere *Aureliam* usque, quamvis via limosa et molesta supra modum, prorepsimus. Reperto illic conterraneo et vetere socio nostro *Theodorico Bronchorst*, cum multis elegantibus et nimia humanitate importunis adolescentibus, prandium pransi sumus satis frugaliter: coenam sumptuosiuscule produximus. Post prandium autem, in deambulationem ubi venissemus, urbem Aureliam plus quam ullam Galliae civitatem formis honestis abundare conspeximus, tum cultiora quam Parrhisiis cuncta animadvertimus: incredibilem vero ubique superstitionem videre coacti sumus. Templi magni angulos omnes plusquam ducenti aut trecenti sacrificuli diobolares, qui ex pagis confluxerant, occupabant confessiones audituri. Proximus huic templo locus est sacer Diis manibus, ut apparet. Ingens illic puteus est, qui plusquam xv millia hominum nuperrima in peste absorbuisse fertur. Magnus illic est hominum concursus, praecipue puellarum. Videas illic singulas tacito cum murmure discurrere, aqua sacra tumulos suorum irrorantes. Credas umbras sepulcris evocari. Infelices vero defunctorum cineres, quibus terra satis onerosa non est, nisi de tanta hominum

mul-

multitudine novum subinde pondus accedat. Aureliae in ponte Ligeris fluvii statuam vidimus Ioannae illius Aurelianensis tantopere memoratae virginis, hastam manu gerentis. Postridie relicta Aurelia ab amico ex urbe deducti gratissimo coelo per silvas fere viam non nimium difficilem ad pagum *Lamotte* divertimus; ubi pransi deinde per silvas et tum quoque ad pagum *Serbrye* applicuimus, ubi pessimo invento vino, aqua sitim restinguere coacti sumus. Conspecta deinde luce, quae suprema itineri nostro foret, mane ad pagum *Vouson* adcurrimus; ubi pransi recta ad destinatam quieti otioque nostro literario urbem coelo amoeno, sed ventoso, tum via aquosa et difficili tetendimus: quam videre contigit circa horam secundam. Paulatim deinde viciniores facti, inter tertiam et quartam horam die Martis, qui decimus nonus mensis Martii erat, in optatissimum veluti portum delati sumus. Tum ego urbe iam proxima hos versus effudi:

Biturigum turres et moenia sacra Camenis,
Salvete, ex alio nobis procul orbe petita:
Magnus ubi Alciatus tanto post tempore primus
Musarum fidibus artis decreta severae
Aptat, et antiquo revocatur vita Soloni.

Urbs ita sita est, ut lateat viatores, donec propinqua fiat,

Ad destinatam urbem] Bourges.

Biturigum turres.] Vide L. I. epigr. 59. ubi v. 4. pro *artis* legitur *Themidis.*

fiat, ac tum magnificam de se speciem praebet, undique in montis aequati modum consurgens; cuius cacumen, templum magnum cum turri occupans, pyramidale quiddam prae se fert.

IOANNIS SECUNDI

ITER

Biturigibus Macliniam.

Anno MDXXXIII, mensis Martii die quarto circiter horam septimam, Biturigibus excedere coepimus, sodalibus quibusdam, quos aegre relinquere poteramus, in plateam nos comitantibus: nam reliquis, quorum magna erat multitudo, quod mane discessuros nos putaveramus, salutandis totum diem pridianum consumseramus, ad multam usque noctem. Nam a doctissimo humanissimoque praeceptore D. Alciato, familiaque ipsius, ipsi quam simillima, nisi nox et somnus avellere nemo potuisset. Progressi itaque eâ urbis porta, quam Sulpitianam ab abbatia S. Sulpitii, quae ei est propinqua, vocant, coelo obscuro et tenuiter pluvioso et itinere strato ad milliaris unius spatium, dein-

deinde ad tria usque milliaria partim lutoso, partim lapidoso et silicibus pleno, ad pagum *Soingny* pervenimus: quem transgressi itinere non incommodo paulo post undecimam diei horam *Noeufvyc* (quem novum vicum dicere possis) ingressi sumus: ubi prandio satis commodo refecti, cum sacerdote quodam illic invento, viro longe humanissimo, sub horam primam equis conscensis, itinere aequissimo, coelo serenissimo, in pagum *Pierrofrite* devenimus, ibique lautius coenati sumus, et cubuimus. Postera die summa luce, imo summis tenebris surreximus; (nam horologium nos deceperat) et circiter horam undecimam *Melestream* intravimus: ubi prandio refecti, itinere satis commodo, aëre sereno, sed ventoso *Aurelias* paulo post horam quintam venimus; ubi conquisitis nostratibus, quibus vel antea nobiscum familiaritas intercesserat, vel salutem nunciare amicorum nomine iussi eramus, opipare coenavimus. Mane hora fere sexta ea urbe relicta, coelo pluviam minante, nisi eam ventus dispulisset, itinere strato ad *Artenay*, qui pagus sex milliaribus Aureliis distat, ante horam decimam advenimus, ibique pransi sumus. Inde digressi sumus statim post prandium itinere molesto, nisi is, qui equos cursorios reducebat, nos per compendium duxisset, qui et alia in re usui fuit. Nam cum ad milliaris unius spatium progressi essemus, unus ex

Noeufvyc] Num *Neuvy?*

ex comitibus percepit, se sarcinulam quandam in hospitio reliquisse: desperatum iam erat de illa, nisi cum cursore illo fuisset transactum, ut eam quaesitum iret; quod ille minimo spatio confecit, nihilque retardati sumus, quin eo die sub horam vi. *Angerville* perveniremus: quo cito pervenisse commodum fuit: vidimus enim, qui statim post nos advenerant, hospitium ostiatim quaerentes, vix in pessimum admitti potuisse. In eo pago satis commode tractati, summo mane egressi a quodam itinere commodo per vallem duorum pene milliarium amoenissimam ducti, quam theatrum naturale potuisses dicere, sub xi..... advenimus; ubi commode satis refecti sub horam quintam *Longemean* subivimus, unde postridie hora vi. egressi circiter decimam celeberrimam *Parrhisiorum* urbem introivimus: ubi totum illum diem diemque sequentem, et tertium quoque, usque ad horam primam pomeridianam, partim expediendis negotiis nobis commissis, partim cum sodalibus illic inventis iucunde transegimus: indeque discedentes per nonnullos ex amicis *D. Paltheno*, *D. Cornelio Susio*, *D. Splentero*, *D. Ioachimo* usque ad urbem *S. Dionysii* deducti sumus. Illic ea vespera sepulcrum Caroli viii. aeneamque ipsius imaginem, et Ludovici xii. marmoreum tumulum, quo opere in tota Gallia non est insignius, licet non iam primum, tum summa cum admiratione contemplati sumus. Vidimus et cornu unicornis eius longitudinis, ut vix longissimus nostrum eius sum-

Sub XI...] Fortasse *Estampes*.

summitatem manu posset contingere. Visuri eramus et alia, nisi nox impediisset. Postero die inde digressi, ad spatium aliquod ab iisdem sodalibus nostris deducti sumus; adeo nullum faciebant illi humanitatis suae modum: circiterque meridiem ad pagum *Beaumont* advenimus. Accidit tamen interim nobis quiddam molestissimum. Cum evitandi itineris lutosi causa in pratum quoddam altius conscendissemus, neque descendendi ullam viam tutam inveniremus, equos vacuos primum descendere compulimus: ibi unus ex eis liberius latiusque discedere coepit, quam voluimus; quem cum recipere simul niteremur, nihil tale de aliis, qui lassi videbantur, suspicantes, omnes tumultuari coeperunt, simulque pugnare, ita ut longo tempore non sine periculo, nec sine aliorum auxilio, capere eos vix possemus. Hoc adscribendum putavi, ut admoneantur caeteri, ne temere equos suos de manibus dimittant.

Pransi igitur in pago *Beaumont*, inde circiter hora prima digressi, aliquot milliaribus emensis, oppidulum *Merlou* transivimus, non inamoenum illud castroque in editissimo monte sito insigne: indeque itinere semper aëreque optatissimo urbis *Cleremont* suburbia introivimus, (nam in urbe nemo hospitatur). Suburbia autem amplissima sunt, ac velut alia urbs: urbs ipsa culta, et quae nitoris aliquid supra morem urbium Gallicarum prae se ferat, ut agnoscas Flandriae vicinam. Ex ea urbe ante horam sextam postridie egressi sub ho-

horam undecimam *Bertueil* pervenimus, aëre sereno, via commoda, nisi quae subinde montosa esset. A Bertueil hora prima egressi aëre adeo sereno, ut ea die nullam prorsus nubem visam arbitrer, via ut antea nulla re nisi inaequalitate sua molesta, occidente sole *Ambiacum* introivimus. Videramus tota pene hora supra editissimum montem eminens summum templi pinnaculum, quod iam tum videbatur urbem proximam demonstrare, cum longe tamen abesset: molesta sane res viatori; praecipuum enim est itineris solamen, ut subinde percipias quantum proficias. At hic conceptâ e falso visu spe brevissimae viae, post multum laboris magnumque temporis spatium retrocessisse potius quam profecisse tibi videris. Ambiaco non excessimus, nisi prius viso templo, quod ego quidem amplissimum altissimumque omnium, quae viderim, existimo; nec nisi viso Baptistae capite, quod singulis diebus paulo post sextam ostendi solet: quibus visis digressi per perpetuos montes perpetuasque valles prorepsimus; parumque adeo nobis profecisse videbamur, cum duabus fere horis equitassemus, adhuc civitas ipsa ita in oculis erat, ut vicinissima videretur; idemque diu etiam post futurum erat, nisi prius *Reineville* obiectu suo aspectum impediisset. Atque tali quidem perpetuo itinere in pago *Passe* inter horam undecimam et meridiem substitimus, indeque hora prima progressi, sole occidere iam parante, *Atrebatum* venimus, itinere quidem paulo mi-

minus clivoso, vento tamen adeo impetuoso, ut omnes prorsus itinerum molestias superaret. Invenimus quatuor fere ab Atrebato milliaribus tumulum infelicissimi *Reinaldi*, nuncii Yperensis, qui paucis ante mensibus illic a latronibus caesus erat, spoliatus auro, quod iuvenibus quibusdam in Gallia studentibus ferebat. Videramus et ante prandium eodem die inter Ambiacum et Passe suspensum caput et crus alterum unius eorum, qui eum occiderant, alii exusti dicebantur. Cum tumulum tam ignobilem miserrimi hominis, nunquam antea cogniti, et qui tum quoque, cum occideretur, literas ad me ferebat, viderem, excidit mihi hoc Epitaphium:

Hic situs est ubi caesus erat Reinaldus, ad urbes
Gallorum a Flandris scripta numosque ferens.
Illi causa fuit aliena pecunia mortis,
Quam nisi post animam perdere non voluit.

Lusit in eumdem tunc etiam frater in hunc modum:

Et tumulum et mortis sedem sortitus eandem,
Hac situs est, moriens quam rubefecit humum;
Nuncius infelix vita spoliatus et auro.
Securum vacuus carpe viator iter.

Ab Atrebato postridie ante horam septimam discessimus, itinereque paulatim minus et minus gibboso,

Hic situs est cet.] Vid. Funer. Carm. XXII. et quae ibi notavi.

so, aëre sereno, non tamen adhuc sine vento, hora undecima ad pagum *Pontdavandyn* pervenimus; ubi frugaliter et sordide tractati, ante horam primam equos conscendimus, et versus *Insulas* contendimus: unde cum iam milliari forte uno distaremus, et evitandi pessimi itineris causa in fundum satum conscendissemus, per foveam traducere equos coacti sumus; quod ego quidem facile perfeci: alter sodalis noster cum idem tentaret, equum pene in caeno reliquit; nam collapsus erat: at tandem aegre exsiliit, ruptis tanto conatu cingulis, quae ad tempus quantum potuimus colligavimus. Frater per aliam viam commodissimam, nobis nec praevisam, nec a pessimis rusticis, qui propinqui erant nosque periclitantes viderant, demonstratam, evasit. Atque ita hora fere quinta *Insulas* subivimus; in qua urbe demum perfecte agnovimus Belgicarum urbium munditiem. Vidimus forum amplissimum, quale etiam Atrebati videramus: nam ea urbs prima est a Gallia venienti, quae planitiem aliquam talem habeat, ubi deambulare populus possit. Deambulantes igitur in eo foro, quaesitum diu *D. Aegidium Iuvenalem*, eius urbis civem eiusdemque urbis consilii advocatum, prius sodalem nostrum in urbe Bituricensi ibique sub *D. Alciato* LL. licentia insignitum, tandem invenimus. Reperimus et alios nonnullos olim notos, cum quibus eam coenam hilariter transegimus. Die autem sequenti hora fere septima equitare *Gandavum* versus coepimus; li-

licet propemodum desperaremus eo die illuc pervenire posse. Profecti igitur aurâ mire nebulosa itinere strato ad tria ferme milliaria urbem *Menyn* transivimus; in cuius urbis finibus primum linguâ Flandrica loquentem populum audivimus: ac duobus deinde milliaribus confectis *Cortracum* hora fere undecima venimus, ibique sumto prandio ante horam primam equitare coepimus; ac deinde quatuor fere milliaribus confectis equos avena data refecimus; iterumque iter ingressi incidimus commodissime in duos, qui multo celerius quam pro more nostro equitabant; quos cum interrogassemus, an eo die Gandavum pervenire possemus, responderunt posse, si ipsos sequeremur, quod fecimus quantum ferre equi nostri potuerunt, profundissimisque tenebris horâ paulo minus quam octava Gandavum venimus, cum altero eorum, quos inveneramus, quem in itinere agnovi; nam frequenter eundem Macliniae videram: simulque hospitati, postridie etiam simul *Terramundam* profecti sumus. Sodalem autem nostrum *D. Gulielmum Halmale* in exitu urbis Gandavi dimisimus; nam ille Antverpiam ibat. Terramundae pransi etiam illi, qui nobiscum eo venerat, vale diximus; ibat enim Bruxellam versus; solique duo nos aëre primum pluvio, deinde sereno, sub horam diei VI. decimotertio eius mensis Macliniam introivimus.

IOANNIS SECUNDI

Iter Hispanicum,

Bruxella in Arragoniam,

CICIↃXXXIII. (*)

Vigesimo octavo die mensis Maii iter Hispanicum ingressus sum, partim gaudio, quod arbitrarer, hoc iter splendorem aliquem vitae mihi polliceri, partim acerbissimo moerore perfusus, quod ea mihi relinquenda essent, quae et carissima mihi fuerunt et iucundissima. Et quoniam tota aurora in valedicendo amicis, tristibusque complexibus esset absumta, orto aliquamdiu sole Macliniam egressi, Bruxellam itinere felici et coelo conatibus nostris veluti applaudente venimus; ubi cum fratre carissimo, *Caroloque Caisio*, qui ut frater esset carior esse non posset, totum fere biduum iucundissime viximus; solatique sumus propinquam veluti mortem nostram, quod ad eas certe regiones, et illorum hominum consuetudinem attinet. Nam si mori est, a consortio hominum separari, ita ut nec tibi cum illis, nec illis tecum ulla rerum coniunctio futura sit, illi pene regioni quisque moritur,

(*) Vide notam infra ad Epist. III.

tur, a qua et avellitur. Nam literarum communicatio salutationesque longinquae nimis similes sunt illis officiis, quibus defunctos prosequimur, preculis, sacris solemnibus recordationique frigidae et caducae. Quod si spes quoque revisendi terram relictam penitus ablata sit, iam aliquanto durius ipsa morte genus hoc mortis existimandum est. Crediderunt enim sapientes fore, ut extincti reviviscamus aliquando vitamque in meliorem conditionem mutemus. At ubi semel a patria recesseris, nisi vel aliquo tandem post tempore redeas, vel, ut redire possis, liberum tibi expeditumque reliqueris, quae tandem ex hac morte superest reviviscendi spes? Haec tamen parum fortassis argute commentari me cogebat dolor quidam immensus. Nunc quoniam in eam conditionem veni, ut dolere non debeam neque damnare quod integrum mihi esse non potest, consequentium rerum et illarum, quae tum quoque cum ita affecti essemus nos oblectabant, longe reminiscor libentius.

Hospitium Bruxellae commodissimum obtigit in insignio Antverpiae: ibi inter caetera mirifice me commovit et exhilaravit filia psaltria, quae cum divinam e fidibus harmoniam digitis delicatissimis eliceret, ac voce suavissima nervorum mollitiem longe superaret, saepe in mentem Ovidianum illud revocavit;

Haec habiles agili praetentat pollice chordas;
Tam doctas quis non possit amare manus?

Multa autem cum iocosa peracta illic nobis essent, nec seria interim neglecta mihi sunt. Literas enim commendatitias ad *Granvellium* a *Boisoto* accepi: item ab Archidiacono Atrebatensi ad eundem, et Secretarium *Perreninium*, tum ab Archiepiscopo Panormitano ad Granvellium et ipsum epistolam magno cum affectu scriptam; tradidi et Panormitano quiddam quod ille super arte fusoria a me commentari petierat.

Mensis Maii die xxx^mo^. hora quinta Bruxellam reliquimus, atque a *Carolo* quidem ad spatium milliaris, a *Gualtero* et fratre *Hallam* deducti sumus, luce paulatim serenescente, per iter sub initium silvosum, mox aliquanto planius, at semper commodissimum; ut mirari subierit, quid nobis acciderit, ut praeterito vere in itinere Gallico, cum eodem pergeremus, in vias perpetuo caeno obductas lapidumque in caeno submersorum intolerabilem quassationem inciderimus.

Mil. II *Hallam* venimus hora octava. Ibi diu quum *magna* quievissemus, circiter horam tertiam post *Mil.* III prandium ad oppidulum *Breyn* accurrimus magno in aestu. Fratri *Hallae* hora prima valediximus, non sine gravissimo dolore. Vidimus *Hallae* tabulam arae incumbentem ex alabastro elegantissime caelatam, Ioannis Ar-

Fratri.] Everardo Concilii Macliniensis tum Senatori.

Artistae opus. Vidimus et inter cetera, quae templi fastigiis erant affixa, hastam, quae cum crassitudine brachium viri robusti aequaret, telo tamen ex arcu manuali, ut vocant, emisso transfixa spectabatur ad rei fere miraculosae memoriam. *Breyni* in hospitio Cervi parvis impensis satis commode sumus tractati. Inde *Maii 3.* postridie hora quarta egressi ad pagum *Kieverein* caelo humecto non tamen pluvio venimus hora fere meridiei, cum paululum tamen apud *Montenses*, qui intermedii sunt, cibi sumsissemus, equis tamen a freno non relaxatis antequam *Kieverein* usque cucurrissent. Festinabamus enim aurae frigidum adspirantis occasione, veriti ne, si multum itineris nostri in pomeridianas horas conferremus, calor nos intensus occuparet, quemadmodum pridie fueramus experti. Nec vero non digna mentione est domuncula viridis, quam post oppidum *Breyn* a sinistra reliquimus mire deliciosam, arboribus contextis undique circumseptam, in quas ex domo transgredi veluti in tabulata possis, domuique tignis erectis constructae domus ramis, exsurgens annexa videri potest. *Kieverein* egressi sumus post prandium hora secunda, alii quidem equites, ego vero pedes; tum ut me exercerem, tum ut comiti nostro pictori pedestri itinere, ut apparebat, defatigato gratificarer. Pauculis itaque horis ad *Vallemcygnum* *Mil. III.*

ve-

veni, paulo antequam equites adpellerent. Ibi in coena ab amicis et necessariis eius, quem itineri delegeramus (nam duo amicum secuti fuerant itinere paulo celeriore) humanissime excepti sumus: ibique communi calculo decretum est, ut subsequentem diem et nostrae et equorum quieti impenderemus; tum propter diei celebritatem (erat enim festum Pentecostes) tum quod itinere superiore ita equos exagitaveramus, ut remissio laboris ad diem unum eis tacito quodam pacto promissa videretur. Hoc in oppido cum die feriato in hortum Sagittariorum animi causa venissem, ibi protinus mihi offerre apparatum quisque suum atque ad iaculandum invitare; quod ego sane recusare nolebam: libenter enim hoc genere lusus utor; et volebam Macliniensium nostrorum hac in arte exercitationem hominibus illis innotescere, qui peculiariter hanc iaculandi laudem sibi vindicare solent: facientes id quidem suo iure; magno enim impetu telum exturbant, dirigunt que satis certum in locum. Eodem tempore et arcum illic emi, et voluptati mihi et securitati in itinere futurum. Postridie
Mil. xii. hora quarta *Vallemcygnum* reliquimus, atque
Iun. ii. ad oppidulum *Cambresy* via planissima patentissimaque adcurrimus continuo itinere, ibique

Hortum Sagittariorum] Schutters Doelen.

que mansimus eum diem. In eo autem itinere ita me meumque equum adsuefeceram, ut minimo negotio ex equo iacularer nihilo incertius, quam si pedes fuissem. *Cambresys* oppidulum est amoenissimum, in vallem depressum, forumque habet amplum; cuius unâ ex parte in circumiacentes montes sublimes et arbustis et segete virentes, prospectus aperitur: altera pars templum oculis obiicit turri acutissima insigne et aedificia splendida. Est et illic abbatia praeclara Sto. Andreae, ut opinor, dicata, ubi monachum quendam Macliniensem invenimus, qui nobis inter cetera officia cervisiam propinavit eius omnino generis, qualis apud Maclinienses potatur; quae, cum in ea regione non temere reperiatur, mire nos refocillavit. Adhibitus est conpotatiunculae cervisiae coctor, qui nobis eiusdem generis tantum cervisiae attulit, quantum in coena cum tota nostra cohorte possemus absumere. Accepta est oblatio, vocatusque ad coenam coctor. Interim sagittandi mentione iniecta visum est, ut, dum coena pararetur, ego cum illo iaculis certarem. Constituta est victo poena duorum sestertiorum vini. Ivimus, certavimus, victus sum a veterano: ventum est ad coenam, hilariter victum est. Post coenam produxit nos coctor in hortum suum, quem in suburbanis habebat amoenissimum, ac mirifica erga nos benevolentia

est usus, homo priscae cuiusdam humanitatis.

Iun. 3. Sequenti die circiter horam quintam emigrantes coelo subaestivo, viâ ut plurimum
Mil. v. silvestri intricataque et difficili, ad oppidulum *Guise* delati sumus, Gallicae ditioni subiectum. Id in excelso monte situm, elegantissimam sui speciem praebet: turrim habet in sui medio rotundam et sublimem, ut mons monti accumulatus videri possit; et quidquid in monte aedificiorum est castri potius cuiusdam formam exhibet quam oppidi. Ceterum in valle ad sinistram partem longo tractu humiles constitutae sunt domus, quae muris potioribus exclusae pagi
Mil. v. cuiusdam speciem prae se ferunt. Sumto illic prandio ad oppidulum *Merle* contendimus, via silvosa, molesta densissimaque pluvia. Constitutum et illud in monte est aeque sublimi, nihilque dissimile est priori, nisi quod turrim insignem non habet; alioqui et principalia utriusque aedificia montem totum occupant, et humiliora per vallem extenduntur. Hic exacta nocte, post ortum aliquandiu, non tamen visum solem ad op-
Iun. 4. pidulum *Lyence* accurrimus. Celebre illud
Mil. v. est cultu D. Virginis, multaque illuc hominum confluit turba, atque erat tunc etiam

so-

Lyence.] *Liesse* sive *Notre dame de Liesse.*

solito maior exterorum undequaque concursus, propter festa Pentecostes nondum elapsa. Mirum quam tortuoso illuc cursu ventum sit; nunc a dextra, nunc a sinistra urbs erat. Subiit mihi credere Divam, quae illic colitur, eo esse fastu, ut nolit tam facilem ad se esse accessum, ut non aliquoties adventantibus hospitibus a latere prius salutetur ac resalutetur, quam ad familiarem illum congressum, qui per cereos accensos fit, admittantur. Antequam ad *Lyenses* appellerem, a dextra reliquimus oppidum non inamoenum, *Lun.* 5.
simili omnino situ quo priora. Ubi apud *Lyenses* quod reliquum erat diei quiessemus, *Mil.* VII.
postridie hora fere solita ad pagum *Bar à Bary* delati sumus: prandium sumsimus, equis in planam navem immissis, fluvium *Mil.* IV.
transmisimus. Inde ad urbem *Reims*, ubi Campaniae regio initium accipit, applicuimus. Insignis est urbs illa et maximo templo, plurimis statuis et inter eas exquisitis undique ornata. Cuius sane templi magnitudine ita sumus elusi, ut cum duobus fere milliaribus ab urbe abessemus, vix mille passus superesse crederemus. Templum ad Abbatiam illic splendidam spectat. Sunt praeterea et alia illic templa eximia, aedesque splendidae, quibus visendis non licuit immorari. Postri- *Lun.* 6.
die enim hora consueta ad pagum *Le grant* *Mil.* VII.
loge acceleravimus, ut illic sumto prandio

in civitate *Salons*, quae ipsa quoque ex insignioribus Campaniae civitatibus est, coenaremus dormiremusque, sequentem illic diem quieturi. Hactenus Campaniam in campos patentissimos fertilesque (unde et nomen habere videtur) extendi animadvertimus, nisi quod dum iter facis, montibus undequaque amoenissimis circumcludi videris, longe dissitis tamen, ut raros esse intelligas, nec planitiem regionis frequenter interrumpere. Apud *Salonenses* quum diem unum, qui septimus Iunii erat, quieti dedissemus, subsequente luce, coelo mirifice
Mil. v. sereno, ad pagum *Lestrye* provecti sumus. Ibi tam laute prandium apparatum invenimus, ut accedentibus aliis quibusdam coniecturis aliquid secreti nobis doli strui crediderimus. Adiunxit enim se protinus venientibus nobis nebulo confidens, qui Gallicis obsequiis in nostrum sodalitium familiarius conabatur irrepere, adserens missum illuc se a nescio quibus dominis suis, quos (ut nulla esset mali suspicio) Canonicos esse volebat, adventum ipsorum ut hospiti nunciaret, prandiumque curaret delicatum apparari; adfuturos mox illos, nec iniucundum nobis convictum ipsorum fore, praesertim si tempore pomeridiano vellemus cum il-

Salons] Chalons.

illis in loco herboso, quem probus ille Symposiarcha digito designabat, sub umbra arborum genio indulgere. Hactenus non infeliciter partes suas agebat hic noster. Ceterum ubi vidit nos parum intentos histrionicae suae, nec omnino ignaros huiusmodi technarum, coepit paulatim nobis persuadere, ut quieti nosmet dederemus, affirmans hoc non fore insalubre stomachis nostris: nec credo mentiebatur: futurum enim fortassis erat, ut post eum diem nunquam male concoqueremus. At frustra haec nobis occinebat; iamdudum enim nos non sopori sed pugnae paraveramus; aut certe ut quamprimum illinc discederemus. Augebat suspicionem nostram quod, quum prandium pro bonis illis Canonicis instructum a nobis absumeretur, nihil interim novorum ciborum in adventum illorum pararetur. Deinde, si adventare deberent aliqui, quorum cogitationes ad iter tantum peragendum spectarent, non videbantur illum coeli calorem exspectaturi: erat enim iam fere meridies, nec via quam perficere debebant longa erat. Tot itaque concurrentibus coniecturis, constitueramus ut furciferum illum nobiscum ad equi caudam ligatum abduceremus. Quod quoniam postea propter confluentium agrestium turbam, totius fraudis, ut opinari libebat, participem, tentare non auderemus, coepimus subdolis pollici-

tationibus cum nebulone agere, ut nos sequeretur, nobisque in vicem defessi ex via famuli subiret. Recusavit ille, nos ivimus. Accidit deinde ut duo ex nostris ingressi iter relictam in pago lagenam repetituri irent, dissuadentibus nobis ne se moverent; nec abs re, ut postea didicerunt. Accidit enim, ut reversi furcis ab agricolis exciperentur, ac nisi gladiis eductis terrorem imbellibus
Mil. IV. hominibus incussissent, futurum erat, ut
Iun. 9. bene mulctati spoliatique ad nos redirent.
Mil. IV. Ita elapsi ad proximum pagum, *Maille* di-
Mil. VII. ctum, appulimus, ibi transacta nocte ad pagum *Arce*, ac deinceps ad ultimum Campaniae oppidum *Troiam*, delati sumus. Quam sane urbem et spatiosam invenimus, et splendidam, ut si quam Galliae civitatem ante hac; ut mirari subierit, tam obscurum eius
Iun. 10. nomen apud nostrates esse. Illic nocte transacta, in multum diem ubi dormivissemus, ac contemplata deinde urbe, prandio-
Mil. VII. que sumto, ad oppidum *Bar sur Saine* properavimus, ubi Ducatus Burgundiae initium
Iun. 11. accipit, postridie ad pagum *Poitir*, relicto
Mil. V. a tergo oppidulo *Muse* in maximo ca-
Mil. II. lore processimus; ut illic pransi in urbem *Chastillon* sub crepusculum adveniremus. Urbs illa amoenitatem divitiasque priscas mi-

Maille] Mailly.

miserandis passim ruinis testatur; atque inter cetera castri illic ingentis munitionis altissimae vastissimaeque fragmenta spectantur. Tunc didicimus et quid belli calamitas, et temporum longinquitas, et regum ira posset; quamque principum consilia ad suam magis securitatem spectent, quam ad subditorum suorum commoditatem utilitatemve. Et ibi et in Campania etiam domus tecta non in altum usque adeo ut nostratia eriguntur, sed demissiora more prisco Italicoque visuntur. Tectae sunt domus Burguudicae lapidibus latis planisque, non tegulis. Mulieres caput habent plebeiae panno, ditiores holoserico, illustriores holosericae vel byssinae vittae panno lato gravique superiecto circumvolutum: pauperculi fere sunt homines, linguaque loquuntur agresti. Relicto *Chastillon*, ad pa- *Iun.* 12.
gum *S. Marco* sacrum applicuimus; et mon- *Mil.* IV.
tes vallesque amoenissimas itinere lapidoso, coelo subobscuro transivimus: ibi uno ex monte unum et viginti rivos limpidissimos prosilientes numeravimus. Inde ad vicem *Sichein* properavimus, ubi dormiremus. Tum *Mil.* V.
vero ad celebrem Burgundiae civitatem *Dison*, per montes excelsos, mireque difficili sinuosaque via prorepsimus, atque inter reliquas difficultates unum montem trauscendimus; cuius altitudo turres iustae mensurae tres, credo, adaequat. In eius descensu urbs pulcher-

cherrima se specie ostentat, videturque viatorem iamiam exceptura, cum interim duo fere milliaria peragenda restent. Urbs illa, multis alioqui etiam rebus insignis, monimenta veterum aliquot Burgundiae Ducum summa arte exscripta servat. Exstant ea opera apud Carthusianos extra urbem, ubi et insignia eorundem Ducum, aliaque ad memoriam prisci nostrorum illic dominii possessionisque spectantur; iacetque illic mira arte e marmore caelatus Philippus cognomento Audax, eiusque successor Philippus cognomento Bonus. Quae omnia ubi contemplarer, ingemiscendum mihi videbatur, viros fortissimos, qui propulsata semper confinium omnium circumquaque iniuria, florentissima in libertate vixissent, nunc mortuos in hostium potestatem servitutemque cecidisse; quique in sua sepulti essent terra, nunc veluti revulsis cineribus in alieno solo recubare, tamquam emendicata terrae portiuncula ad ea corpora tegenda, quibus magna pars orbis serviebat. Quod si quis relictus est exstinctis sensus, non in ea quiete iacent illi qua solent, et qui vivi imperabant, mortui servitutem indignabundi detrectant. In iis aliisque rebus
Iun. 13. spectandis totum ibi diem consumsimus. Nec omittendum est quod *Dyni* cuiusdam *Rapundi Lucani* statuam illic adfabre sculptam

ptam conspeximus. Postridie ad oppidum Iun. 14.
Beaulme per pagum, ubi Admiralis Franciae Mil. vii.
prandebat, contendimus. Contemplati sumus
illic et admirati Nosocomium magno sumtu
exstructum per Cancellarium quendam Bur-
gundiae *Nicolaum Rolle*, ut ferebatur. Res
est spectatu digna, quaeque docere nos po-
test, in quos usus collocandum sit id, quod
nec post mortem nobis, cum domini rerum
nostrarum esse desinimus, perire velimus. Iun. 15.
Subsequente die ad oppidum *Salon* non in- Mil. v.
amoenum properavimus: ibi eum diem dese-
dimus, frustratique spe, quam conceperamus
de equis in navem, ut quiescerent, *Lugdu-*
num usque per Ararim devehendis, quod nec Iun. 16.
commoditas offerretur, pretiumque nautae Mil. v.
immoderatum exigerent, postridie ad pagum
Tornam equites devecti sumus; ubi prius
aquam, quae per fluvii inundationem per arva
iuxta urbem ad spatium dimidiati fere millia-
ris excreverat, aliumque item fluvium paulo
post transmisissemus, inde ad pagum *Macon* Mil. v.
delati sumus; ibi dormivimus. Quo in iti-
nere quod magna pars viarum aqua fluviatili
obducta esset, ego cum per viam publicam
eundo, ex improborum quorundam viatorum
consilio, viam quae a latere recenter facta
erat neglexissem, in voraginem incidi, non
sine vitae discrimine, si ulterius processis-
sem, aut nisi equus meus alacritate sua re-

pente me sublevasset; itaque remensa aliqua parte itineris aquosi molestique, quaesitis viis siccioribus aegreque inventis, accidit ut multa in nocte ad civitatem adveniremus: clausisque iam portis timendum erat ne in urbem admitteremur; sed pecunia claustra perfregimus. Ex iis vero, qui nos pedites sequebantur, duo et itineris difficultate et nocte iam obscura didicerunt quam esset suave, ut est apud Tibullum,

Dormire sub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

et num illud Senecae verum esset potuerunt experiri,

Cespes Tyrio mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos.

Ian. 17. Sequente luce ad oppidulum *Villefrance* non inamoenum properavimus; ubi rursum Gallicam ditionem ingressi sumus. In eo annotatione dignum putavi, quod nubibus densis cacumina montium circumvolvi viderem; dubium non sit quin, si quis in vertice montis constitutus fuisset, nubes passim sub pedibus fuisset habiturus potuissetque nubibus implicatus vento asportari ac alicubi Iun. 18. explui. Postridie in summo calore ad illam Mil. v. tantopere praedicatam Galliae urbem *Lugdunum* properavimus, itinere admodum iucundo: aliquandiu enim in monte sublimi vehebamur; unde prospectus erat in montes

a-

amoenissimos, qui longo ab urbe intervallo distantes, circumquaque tamen velut circino ducti montem nostrum ambibant. Longo adhuc flexu ab hoc monte delapsi per iter planum aliquamdiu, ac deinde per montem unum provecti, urbem ingressi sumus antequam eam videre contigisset; usque adeo in vallem tota pene urbs sepulta est, viatoresque eludit. Montes excelsi circa moenia ex omnibus fere in circuitu partibus spectantur, quibus ipsi muri aliquibus locis impositi Propertiani versiculi memorem me fecerunt:

Scandentes si quis cernat de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.

Sinuosus longo tractu in urbem est ingressus. Hac in urbe Arar Rhodano miscetur. Hospitio autem propter Regis adventum aegre invento, cum non satis commodum id nobis videretur, ad quatuor fere horas per omnes urbis angulos discurrimus, nec invenire quicquam e re nostra potuimus, usque adeo equitatu regis plena erant omnia: in quo regis potentiam et splendorem licuit animadvertere. Invenimus hic bona fortuna *Hilarium* poëtam, *Corneliumque* pictorem, veteres amicos; cum quibus ea nocte suaviter viximus. Postridie, quum in discurrendo *Iun. 19.* huc atque illuc, atque in aulicae pompae strepitu visendo, ac rege ipso contemplando

 con-

consumta esset, potior nostrorum pars ad prandium legati Caesarei ivit, ubi et coenaverunt. Ego meo arbitratu cum aliis amiculis illic inventis et pransus sum et coenatus. Post coenam, transmisso Arari (quod illic et viae accelerandae et animi causa lintribus ad hoc plurimis in promtu positis quam saepissime faciunt homines delicati) in penetralia aulae regis amici auxilio admissi sumus. Ibi videre licebat lusus varios choreasque omnis generis, quas nobilissimi totius Galliae proceres ducebant, nobilissimaeque tum Galliae, tum Hispaniae puellae magno apparatu exornabant. Praeerat his omnibus Rex et Regina, uterque in loco sublimi, velut theatro, constitutus, ut nihil deesset, quod Regalem magnificentiam decoremque lusuum eiusmodi spectaret. Vidimus Lugduni inscriptiones aliquas; in quibus erat pro Lugduno, Lugudunum ubique scriptum.

Lun. 20. Postridie eius diei nave conducta, equisque in navem immissis, hora tertia pomeri-*Mil.* x. diana, per eum fluvium qui ex Rhodani Ararisque mixtione, Rhodani deinde, velut nobiliore nomine ad *Volcos* prisco nomine, nunc *Avignon*, decurrit, ad oppidum *Condrier* magna celeritate contendimus, relicta a sinistra *Vienna;* quae urbs totius Galliae antiquissima narratur: et certe aedificia, loci-

cique situs priscum aliquid et venerandum prae se ferunt. Pons ibi per Rhodanum traductus est insignis, sub quo et navigavimus: ab eius dextra parte turris erat quadrata, specie antiqua, quae per Genios aliquando structa narrabatur, fabulose ut opinor. In oppidulo *Condrier* ubi quiessemus, sequenti luce hora quinta navem denuo conscendimus, ut eo die ad *Volcos* si possemus, sin minus, quo possemus perveniremus. Navigatio haec omnis iucundissima fuit: fluvius enim omni fere ex parte montibus amoenissimis riparum loco continetur, quos et arbusta, et castella, et urbes nonnunquam occupant; inter quas eo die has numerare licuit: *La Roche*, *Valenche*, *Suyon*, *Beschebul*, *Motalmuer*, *Vimer et Doesgera*. Quo ubi venissemus, nave ad ripam in loco tranquillo sub monte relicta, pedites in oppidum ad mille fere passus processimus. Postridie iterata navigatione et alias urbes praeterlapsi sumus, quarum duas tantum memoria teneo; *La Borche*, et *Pontem S. Spiritus*, qui sane locus magno nobis terrori fuit, quod multis naufragiis infamis sit. Pons arcubus XIX patet; per unum aliquem ex his arcubus iter certissimo ductu est capescendum: quod si vel remiges, vel gubernator vel minimum in officio cessent, periculum est ne navis columnis illisa diffindatur. Deinde ubi hinc

Lun. 21.

Lun. 22. *Mil.* XX.

elapsus es, tantus subito undarum impetus navem implicatam propellit, ut timor navigantes non levis occupet ne aut navis subvertatur, aut pondere undarum haustarum depressa subsidat. Circiter meridiem, *A-*
Mil. x. *vignonam* appulimus. Palatium est illic Pontificis satis insigne, et pons qui ad MCCC. passus extenditur, quem aliquando audivi a daemone exaedificatum: illic nihil certi ea de re potui elicere. Visitur et inter cetera illic spectatu digna natio Iudaeorum in partem civitatis viliorem reiecta. Eorum opera et mercaturae ut plurimum in indusiis lineis artificiose elaboratis consistunt. Se-
Ian. 23. quente die ad oppidulum *Farniac*, ubi Nar-
Mil. iv. bonensis provincia initium capit, delati,
Mil. iii. ibique pransi, ad vetustam urbem *Nemausensem* contendimus, ubi moles est ingens vetustissimaque in modum colossi Romani a Traiano, ut oppidani dicebant, exstructa: tum inscriptiones aliquot ante portam urbis spe-

'*Urbem Nemausensem.*] Margini adscriptum erat: *Haec urbs* Nimes *appellatur vulgo, estque ea, unde* Carolus *noster* Serveis *oriundus est, quem illic invenire sperans, in multos incidi, qui hominem noscerent, ipsum invenire non potui.* Inscriptiones autem, quarum mox meminit, in apographo Vulcanii non exstant: sed, inquit Scriverius, omne id damnum sarcire possunt Antiquariorum libri, et inprimis augustum illud opus Inscriptionum Iani Gruteri. Videas quoque *Antiquit. Nemaus. I. Grasseri.*

spectantur, quarum quasdam in fine huius libelli adnotavi: unde coniecturabamur, insigniora etiam in urbe posse spectari. Sed propter pestem increbescentem penitus in civitatem ingredi consultum non videbatur; quapropter et extra urbem diversorium nobis elegeramus.

Prima deinde luce subsequente ad oppi- *Iun. 24.*
dulum *Lunel* properavimus. Hactenus omnis *Mil. v.*
per provinciam via olivetis fere densissimis
veluti silvis quibusdam inclusa est. Prandio
deinde sumto ad pagum *Sumbers* tantum *Mil. II.*
processimus, quia ad *Montempessulanum*
usque ire nolebamus, quod is locus gravissima tum peste affligtaretur; male illic in quodam veluti tugurio excepti sumus. Causam hanc arbitror, quod urbe *Montepessu-*
lana tam propinqua raro illuc hospites com- *Iun. 25.*
meare solent. Postridie relicta a dextra Mon- *Mil. IV.*
tepessulano, ad oppidulum *Dusian* progressi *magna.*
sumus et illic incommodo sumus usi hospitio.
Illinc ad oppidulum *Lupian* contendimus: *Mil. II.*
ibi satis commode accepti sumus. Postridie *Mil. III.*
ad oppidulum *S. Tyberi* transmisso quodam fluvio delati sumus. Inde ad oppidum *Besas* acceleravimus, ubi custodes portarum iusiurandum a nobis exigere coeperunt, quo affirma-

Montempessulanum] Montpellier.
Besas.] Num *Beziers?* an *Pegenas?*

maremus neque ad Montempessulanum neque alio quoquam divertisse nos, ubi pestem grassari sciremus, quod et in subsequentibus aliquot civitatibus facere coacti sumus.

Iun. 27. *Mil.* VI. *magna.* Postridie *Narbonam*, transmisso et ibi fluvio, contendimus, urbem in ea regione celeberrimam. Nam et Archiepiscopatus ibi est, Academia ni fallor quoque. Inde ad
Mil. III. pagum *Villefrance* properavimus, non incongruo nomine sic appellatam. Totam vero hanc sive provinciam Narbonensem, sive Langodccensem regionem, nullo alio elogio celebrare possum, quam quod hominibus balbis, ferocibusque et improbis habitetur, atque ipsis Burgundis nequioribus; milliaribus dimensa sit prope immensis; mare habeat ab Oriente, quod et in Hispaniam et in Italiam protenditur; saxosa sit sterilisque, nec quidquam fere praeter Rosmarinum et aliquot oleastros producat, praesertim ea parte qua Hispaniae proxima est, ubi et periculum maximum a praedonibus imminere viatoribus audiebamus; ut omnino intelligas regionem esse efferam. Nos vero fortuna propitia nullum in itinere invenimus qui nos offenderet: forte ad incursum levem sustinendum satis instructi videbamur iis hominibus, qui talia fortassis machinabantur. Ita salvi ad Hispaniae fines appulimus, maxi-

ſſimo in calore, molestissimaque via: quod taedium auxit equus meus solea ferrea amissa tardatus; pransique sumus iuxta castrum *La Sausse*; quod tanta cura a Caesariensibus servatur, ut adspectus eius munitionis hospitibus adventantibus innoxius non concedatur: quin si quis sit qui in murorum fossarumque contemplatione commoretur, nihil etiam doli meditans, in periculo summo constituitur, ne bombardis illinc abigatur, aut non abigatur potiùs, sed prostratus extremum ibi vestigium ponat. Hinc ad oppidum Hispaniae primum *Perpignan*, non inamoenum illud nec incelebre, contendimus. Rivulus illic per urbem fluit limpidissimus, longe supra aream platearum erectus circumclususque muris altiusculis, ne vicos passim inundet: cuius sane adspectus insolita specie mirifice me cepit. Postridie ad pagum *Brelon*. properavimus: ibi montes conscendere molestissimos (hi ex Pyreneis sunt) adeo densos perplexosque, ut antequam milliaris viam processimus, iam nox nos occuparet, coactique simus ad domum quamdam ignobilem subsistere, ibique cubare mediis in vallibus, non extra periculum praedonum. Postridie ad vicum *Vighiere* ubi pransi essemus, rursum in diversorio ignobili subsistere cogebamur. Sequenti die, qui primus Iulii mensis erat,

Mil. IV. maxima.

Mil. III.

Iun. 29. Mil. VI.

Mil. I.

Iun. 30. Mil. III. Mil. IV.

Iul. I.

Mil. IV. transcurso non inamoeno oppido *Geron*, ad locum quemdam contendimus, ubi statio equorum dispositorum tunc erat. Inde ad
Mil. III. vicum S^{ti.} *Calaeni* properavimus; ibi cubavimus.

Iul. 2. Postridie per pagum *La Rocque Barchi-*
Mil. III *nonem* contendimus; ac quum vicini iam
Mil. IV. urbi essemus, obviam nobis adequitavit Nicolaus Florenas medicus, uxorem suam adventare ratus: frustratus autem ipse spe sua, etiam nostra nos spe frustratus est. Ex eo enim intelleximus fratrem, quem *Barchinone* fore crediderамus, *Monzon* abiisse. Novum itaque iter capessendum nobis conspicientes, triduum *Barchinone* substitimus, quod et equorum quieti, et novis amicitiis, et urbi contemplandae dedimus. Urbs in valle constituta altissimis circumquaque montibus continetur; planitie satis ampla adiecta, nisi quod ea parte, qua ad Orientem spectat, ab Italico mari alluitur. Hoc in tota urbe adnotatione dignum invenimus, quod media omnium platearum linea lapidibus exemptilibus magnis quadratisque constat, sub quibus fossa profunda longo tramite per totam urbem deducta est. Id adversus Maurorum nocturnos incursus excogitatum est; simulatque enim naves hostiles cursum illuc tenere ex altissimo monte ad hoc disignato, quem *Mon Iu*

ap-

appellant, (*Mons Iovis* a veteribus dictus)
civitati denunciatum est, lapidibus his su-
bito evulsis, acerbissima clades hostibus pa-
rata est: nam ignari viarum per nocturnas
tenebras passim in voragines hasce praecipi-
tes adiguntur. Quarto die novum iter in- *Iul.* 6.
gressi ad vicum *Matturil*, ac deinde ad oppi- *Mil.* II.
dulum *Spargyes* sub multam noctem adve- *Mil.* III.
nimus. Sequenti die *Montem Serratum* va-
stitate sublimitateque, tum cultu D. Virginis *Iul.* 7.
per omnem fere orbem Christianum celebra-
tissimum nominatissimumque, magna diffi- *Mil.* II.
cultate conscendimus; substitimusque illic
in coenobio Benedictino, ubi D. Virgo se-
dem suam plane regalem posuit: pendent
aurei lychni laquearibus aureis; pendent a
fastigiis templi arma ducumque insignia,
mutilataque ex cera membra, naves tabulae-
que votivae, et quid non? Monachi ex re-
ligione prisca laudabilem et favorabilem
illic morem servant, ut hospitibus quibus-
cunque Virginis matris salutandi causa ad se
divertentibus, vinum, oleum panemque sup-
peditent.

In

Montem Serratum.] In margine additur: *Summus huius montis apex in altitudinem decem, credo, turrium, qualis est Macliniae ad aedem D. Rumoldo sacram, extenditur. Nos tamen ultra dimidium evecti non sumus.*

Mil. III. Inde egressi, ad oppidulum quoddam, cuius nomen non succurrit, itinere item difficili, formidulosisque despectibus molesto, longoque et taedioso, quod a via aberrassemus, delati sumus multam quoque sub
Iul. 8. noctem. Inde ad vicum *Montbeneau*, ac
Mil. III. deinceps ad alium quoque ignobilem pagum
Mil. II.
Iul. 9. acceleravimus. Sequente luce per similem vicum ad oppidum non inamoenum, in excelso monte situm (*Cervera* nomine) contendimus. Ibi ego relicta sorore, ad fratrem maioribus itineribus acceleravi; ut ad-
Iul. 10. ventum illi uxoris nunciarem. Ac sub vesperam quidem, equo iam defatigato, ad
Mil. V. suburbia insignis urbis *Bellaguere* quum
maxima advenissem, obtulit se mihi ignaro ipse frater, qui aliquot nostratibus comitatus, eo usque uxori, quam non procul abesse sciebat, obviam processerat; accidit que mirabili quodam fato, ut illo me tanquam viatorem ignotum compellante me item similiter cum eo agente, diu sermones misceremus, antequam alter alterum agnosceret: quae sane res gaudium nostrum longe reddidit uberius.

Iul. 11. Postridie, circiter horam decimam, soror ad-

Sorore] Fratris Nicolai uxore *Anna Cobella*. Vid. ad L. II. el. 10.

advenit; quam cum maritus summo cum gaudio excepisset, hilariterque pransi essemus, ad pagum *Guerrast* sub vesperam adequitavimus: postero die ad oppidulum *Tanteryc*, ac deinde ad oppidulum, seu vicum potius *Almoigna* contendimus, ubi hactenus subsistimus. Mil. II.

IOANNIS SECUNDI

EPISTOLAE.

I.

PETRO CLERICO,

MACLINIAM.

Amicissime Petre! Sumus hic in celeberrima civitate, sumus in sodalitio doctissimorum virorum, neque auribus neque oculis deest, quo possint delectari: et sumus tamen inviti. Nemo hoc credat aliorum, fortasse nec tu credas, qui conscius tamen es ardoris nostri. Sed abcessit illa: quid tum?

EPISTOLAE.] Neque hae epistolae soluto sermone scriptae ab hac nostra editione abesse poterant. Partim eas edidit Scriverius, et alias quidem ex ipsius auctoris aut fratris archetypo, alias ex apographo Iani Dousae Patris, partim P. Burmannus inter Gudianas p. 381. ss. Curavimus autem ut temporis ratio in iis edendis haberetur, quare hanc epistolam Clerico scriptam primo loco collocavimus, quippe quae referenda nobis videtur ad a. 1533, cum e Gallia iam redux in Belgio commoraretur Secundus. Eandem hanc epistolam versibus conscriptam habes L. I. el. 9. ubi vide notas.

tum? restant vestigia; et propinquior aliquando istic illi futurus sim: aut si ridicula haec putas, vel ea causa istuc recurrere cupiam, ut alia aliqua in animum nostrum admissa haec expellantur, quando aliam viam non video, quamquam dubito:

An calor hic alias possit sibi quaerere sedes:
Hactenus hunc certe Iulia sola tenet.
Candida quantumvis et non deformior illa,
Et versatilibus ebria luminibus,
Saepe meos oculos in se vicina moretur,
Oscula quae facilis ad mea sponte venit.

Cupio scire quomodo nuptiae cesserint, et an praeter lugubrem coeli faciem nihil passae sint funestum, et an illud *Io Paean* nuptiarum die non cecineris: denique quo tuos amores transtuleris. Mitto elegiam, quam in itinere in ipsa illa tempestate composui. Meminisse potes, dixisse te aliquando nuptiarum diem forte suppeditaturum novae elegiae materiam. Sic factum est:

Ergo dies venit, qua se formosa mariti
Dedet in aeternum Iulia servitium, cet.

(V. Lib. I. el. 8.) In aliis elegiis quaedam mutavi; veluti illud: (L. I. el. 7. v. 18.)

Et lacer unda nigrae membra relinquat avi.

pro quo substitui:

Multaque proiecti viscera carpat avis.

Et illud (ibid. v. 73.)

Non aliquis duro tenuit custode puellam.

in-

interpolavi ad hunc modum:

Anxia non tenuit custodis cura puellam.

Salutat te Hadrianus, et Nicolaus. Bene vale. *Bruxellae* praepropere.

II.

INGENIOSISSIMO ORNATISSIMOQUE VIRO,

D. IOANNI SCORELLIO,

CANONICO D. MARIAE TRAIECTENSIS,

AMICO OBSERVANDISSIMO.

TRAIECTUM.

S. P. Domine et amice carissime! Cum brevi mihi in Hispaniam ad fratrem *Nicolaum* eundum esset, rediretque ad vos *D. Stephanus Montanus*, communis amicus, omnino mihi aliquid ad te scribendum, tibique parvo epistolio valedicendum putavi. Nam praeterquam quod te mei studiosissimum et praesens, cum hic esses, expertus sum, et ex multorum relatu intellexi, cogor te, etiamsi ignotus mihi esses, venerari, ducitque me in tui amorem praeclarum istud ingenium tuum, industriaque, qua reliquos huius regionis artifices longe antecellis. Ego vero hac cum natura tua aliquid mihi commune esse, non timebo di-

IOANNI SCORELLIO.] Celebri illi pictori, de quo vidd. notae ad L. I. epigr. 39.

dicere. Illud videlicet, quod has fingendi pingendique artes arcano quodam naturae iussu semper amplexus sim et admiratus: cui iuvenili levitati aliquem sculpendi usum ausus sum adiungere. Qua in re cum acutissimo iudicio tuo non nimis infeliciter versari me intellexerim, progressus sum in lusu (mea quidem sententia) non insuavi. Ut autem videas an aliquid profecerim, mitto tibi effigiem Archiepiscopi Panormitani, proximis hisce diebus a me sculptam. Rogo, sincere iudices: vix enim inducor, ut credam iudicium, quod de Iuliae imagine proferebas, fuisse incorruptum. Forte quemadmodum illa meos oculos, ita tuos eius imago fascinaverat.

Scio te, clarissime Domine, familiariter uti Domino de Nassau. Quoniam autem in Hispaniam eo, ubi et ille brevi futurus est, maxime e re mea foret, si in tanti tamque boni principis benevolentiam aliquomodo essem insinuatus. Quod si ita ferat opportunitas, summopere te rogaverim, ut me illi commode captata occasione, sive per literas, sive si te ad illum venire contingat, praesens praesenti commendes. Gravissima autem commendatio ex patris mei persona sumi poterit, quem

De Iuliae imagine] *Vatis amatoris Iulia sculpta manu.* Vid. Lib. I. epist. 7. extr.

Domino de Nassau.] Fortasse innuit *Renatum Nassavium*, qui Carolo V. auxilium tulit adversus Galliae regem.

quem ille vehementer amabat. Facturus mihi rem es longe gratissimam, meque tibi mirifice adstringes. Bene vale. Macliniae VIII. Maii 1533.

Observandiss. tui, tibique addictiss.
IOANNES SECUNDUS, *Hagensis.*

III.

EVERARDO NICOLAI
Caesareae Maiestatis in magno Consilio Consiliario, fratri suo observandissimo,
S. D.
IOANNES SECUNDUS.

MACLINIAM.

Superioribus quibusdam literis nostris vobis indicavimus in bona me spe esse obtinendae hic non

Superioribus cet.] Multas haec epistola sustulit difficultates, motas mihi super verum tempus, quo in Hispaniam profectus sit Secundus. Nimirum cum haec epistola et sequens annum praeferant 1534. et Itinerarium Hispanicum in editt. Heinsii et Scriverii eundem praeferat annum; cum contra epistola Scorellio scripta paucos dies antequam in Hispaniam proficisceretur, habeat annum 1533. et ex ipso adeo Itinerario constet Secundum pridie Kal. Iun. non *Secoviae*, vel *Segoviae* (quae nobilissima est urbs Castiliae Veteris) sed *Montibus* in Hannonia fuisse, non habebam, quo haec conciliarem. Iam vero ex diligenti singulorum locorum comparatione manifestum mihi factum est, Secundum in Hispaniam profectum esse a. 1533. ad fratrem Nicol. Grudium, Caroli Imperatoris a secretis, spe obtinendi muneris, sequenti vero anno 1534 revera ab Archiepisco Toletano arcessitum esse, ut sibi ab epistolis esset. Quae igitur in Vita Secundi p. XXX. dicta sunt a nobis ad hanc normam sunt mutanda.

non poenitendae conditionis; qualis autem ea esset hactenus supprimendum duximus: non quia celare vos volebamus cogitationes nostras, sed quod verebamur, ne, si res exitu careret, tanto gravius doleretur, quanto impensius eam ipsam rem succedere mihi cupiissetis. Non enim timebam, ne frustratus spe mea riderer a vobis, quos de diligentia mea ac modestia in persequendis huiusmodi rebus diffidere non arbitror, tametsi id ab aliis quibusdam isthic, in quorum notitiam res venisset, exspectare poteram. Nunc autem quoniam conclusa res est, diutius fraudare vos nolo voluptate, quam e prosperitate mea maximam ac plenissimam accepturos vos certo scio. Rev. D. Archiepiscopus Toletanus, qui pridem Cardinalis S. Iacobi fuit, et praesidens est supremi Senatus totius Hispaniae Primas, vir optimus, doctissimus atque in suos liberalissimus, nudius tertius me honorificentissime in familiam ac tutelam suam recepit, Secretariumque me suum designavit. Splendide prorsus ero, et si bene me geram, ut certe geram, inter primos eius aulae brevi numerabor: quidvis mihi de Domini mei comitate, humanitate, potentia polliceri possum. Ad stipendia non contemnenda, favores atque honores eximios, spes mihi beneficiorum amplissimorum pene indubitata accedit: nam quia Cardinalis est, omnes Ecclesiae dignitates ac beneficia per totum annum vacantia ad ipsius solius collationem spe-

 ctant;

ctant; ita ut singulis septimanis alioui ex suis optime providere possit. Non ego nunc vereor, ne consilium meum non approbes, quod Hispano me addixerim, id quod in epistola quadam tua mihi dissuadebas: generali enim Hispanico vocabulo hunc Hispanum comprehendi non arbitrabar, cui nemo non aulicorum inservire malit, quam ipsi Caesari. Adde, quod ingenium meum cum illius optime conventurum videtur; cuius rei hoc argumentum habe, quod vir est omnium artium studiosissimus, hilarisque et amoeni ingenii: denique facie ac moribus simillimus festivissimo illi homini nostro D. Petro de Capella. Omnibus his unum accedit sane maximum. Si quid summo Pontifici humanitus accidat, non video quis praeter hunc in eum locum sit evehendus. Vide quantum ita familiae nostrae stabilimentum accederet, si duorum fratrum apud duos mundi Dominos aeque utrobique polleret auctoritas. Sed hae spes sunt Alchimicorum. Iam vero grave mihi putas fore, si patria ad aliquot annos exsulabo? cum satis certo sperem, me, si eo aliquando recurrere velim, cum tali compendio recursurum, quo me ad extremum usque tempus senectutis sustinere potero, quod malo, quam ut dependere aliquando debeam a quoquam eorum, qui isthic cum imperio sunt. Plura scriberem, sed obtundunt sensus meos tintinnabulorum campanarumque strepitus, qui ad sepul-

tu-

luram quorumdam nunc exercentur eorum, qui heri ex magno iuvenum numero non minus quinque plurimos fortiter tauros in arena exagitantes confodientesque (quod hic est celebre, solemne et festum inprimis spectaculum) reliquis aliquot vulneratis occubuerunt, et perpetuo per gloriam vivere intelliguntur. Bene vale et me D. matri (cui et prosperos meos successus inprimis communicabis) atque uxori tuae fratrique Hadriano, sororique Gulielmae aliisque omnibus officiosissime commenda et excusa: peregrinamur enim Segoviae. Prid. Kal. Iun. CIƆIƆXXXIV.

IV.

IOAN. SECUNDUS
HADRIANO FRATRI.

MACLINIAM.

Solam hanc elegiam tibi nunc mitto, frater optime, quam libello de Iulia conscripto aliquando statui inserere. Praeter eam nunc nihil accipies: ita culpam tuam expiabo, quam Episcopo Londense isthinc sine literis tuis dimisso commisisti. Successus meos Everardo fratri perscripsi. Utinam si-

Hanc elegiam.] Innuit elegiam secundam Libri primi.

Episcopo Londense.] Imo Archiepiscopo: innuit *Ioannem a Vesa.* Archiepiscopatus Londensis in Dania est. Scriver.

similem habeat exitum id, quod tu minime quidem inconsulte cogitas. Ignosce si quid invenies in hac elegia tumultuosum: inter equitandum his diebus maiori ex parte effusa est. Tu, qui quiescis, emollire eam sedatioremque reddere, si potes, elabora quaeso. Nihil enim aeque fastidio ac recognitionem carminum meorum. Secoviae III Iunii CIƆIƆXXXIV.

Id quod tu cogitas] Hadr. Marium munus aliquod Traiecti ad Rhenum obiisse monuimus in Dissert. p. XXII. id ipsum fortassis hoc tempore ambibat.

Inter equitandum effusa est.] Eadem facilitate carmen ad Gulielmum Copum de senectute composuisse Erasmum, ipse narrat in epistola quadam his verbis: *Quo taedium inter equitandum fallerem, abstinens a colloquio partium* (Anglorum, quos in itinere per Alpes comitabatur, et quos inter lis fuerat orta) *carmen hoc absolvi, notans interim in charta super sellam, ne quid excideret, dum, ut fit, nova cogitatio veterem propellit. E notulis describebam, quod erat natum, ubi ventum est in diversorium. Habes carmen equestre, vel potius Alpestre, quod tamen docti negant prorsus infelix, utcumque natum est.* Quod autem ingenue fatetur Secundus, se fastidire recognitionem carminum suorum, id vitium cum aliis poëtis, maxime facilioris ingenii, habuit commune. Si quis tamen conferat carmina, quae leguntur in Itinere Gallico, videbit haud pauca subinde castigata et lima politiori emendata esse, ut patet ex lectionis varietate, quam vel ideo enotavi. Videntur igitur hae emendationes deberi eius fratribus.

V.

V.

EVERARDO NICOLAI
S. D.
IOANNES SECUNDUS.

Frater carissime observandissimeque! Nondum quartana liberatus sum, et tamen ad verna signa sol redit. Ego tamen usque adeo fortiter et animose illius insultibus resisto, ut non modo non in lecto me aut domi contineam, sed extra Hispaniam etiam ipsam evagari mediter, ne quis forte torpor meus torpidam febrim alat. Caesar Barchinonam perendie proficiscitur, ut exercitum, quem il-

Nondum cet.] Edita est haec epistola inter Gudianas p. 382. sine anni aut mensis indicatione. Initium tamen epistolae satis indicat medio fere anno 1535. quo ad expeditionem Tunetanam Carolus profectus est, scriptam esse. Istam enim expeditionem hic indicari omnia clamant: Barchinonae mentio, unde classis solvit: iter in Italiam, ut Caesar Pontificem, ad expeditionem et ipsum copias missurum, salutaret; Secundus vero, ut Cardinalis Toletani nomine Paulo III, anno superiore Pontificatum adepto, hunc honorem gratularetur. Quod autem in Dissert. p. XXVIII. diximus de non visa Secundo Italia, id quidem hac epistola videtur refutari. Verum quae ibi diximus spectabant magis illam traditionem, quae dicebatur Secundus iam ante Italiam visitasse, quod video factum etiam a Scriverio, narranti per Italiam in Hispaniam venisse, quem certe meliora docere potuerat ipsius poëtae Itinerarium. Venerit igitur in Italiam Secundus, tum venit, cum iam morbo implicitus et ad expeditionem profecturus nihil nisi arma lyra sonaret.

illic ingentem habet, quodcumque tandem illi visum erit, vel emittat, vel ipse traducat. Et quoniam primum in Italiam traiecturus creditur, mittit me Caesareae aulae comitem Cardinalis meus primum Romam, ut Pontifici supremum hunc honorum apicem gratuler, et alia quaedam ipsius nomine exponam. Deinde quocumque tandem Caesar ibit, ut historiam rerum memorabilium contexam, cuius iam nunc initium quoddam furore Martio incitatus effudi. Id tale est:

Rursus bella parat Caesar: patientia rursus
Mansueti iuvenis longo devicta dolore est,
Et violata gravem pietas erumpit in iram.
Fervere iam video canis maria omnia remis,
Telluremque armis, coelum splendescere flamma!
Quid tantum, fortuna, moves? cui fata minantur
Tam dirum exitium? quantove cruore redemtam
Aeternam, Furiae, pacem conceditis orbi.

Omnes homines cum Caesare et pro Caesare pugnare gestiunt; neque nos, si res ad arma venerit, imbelles aut ignavi arguemur, ut tale quid in Historia mea locum habere possit, quale est illud Aeneae: *Et quorum pars magna fui.*

Quod de *Bekerkio* scribis, de tua diligentia nihil dubito; num vero ille satis ex fide versetur ignoro; vix enim arbitror non aliquid in rem meam tanto tempore cessisse. Agnosco etiam dili-

Rursus bella parat] Vide Fragment. p. 216.

ligentiam tuam in eo, quod ad fratrem de sororii responso scribis. Quod autem ille scire cupit, qui sint illi, qui in ordine *Rotae* me antecedant, primus quidem vocatur Magister *Hadrianus Thiebault (le maistre de la chapelle de l'Empereur)*, qui iam nunc locum acceptasse dicitur, qui vacavit in Winnoch. Secundus est filius Magistri *Laurentii de Bhouth*, qui num aliquid et ipse acceptaverit investigandum est: nam nuper admodum per mortem Praepositi Cassellani vacavit Cura Harlemensis, quam si ille non arripuit, aut etiamsi arripuit, et aliam, quae prius vacavit, omisit, ita ut tertia Cura, quae post datam *Rotae* (hoc est XIX Septembris) vacavit, sit Harlemensis; ego videlicet sum Curatus Harlemensis. Obsecro te, mi frater, ut diligenter quantum fieri potest hac in re verseris, ac procuratores meos harum rerum certiores reddas, ipsumque inprimis sororium meum, cui obsecro ut me excuses, quod illum procuratione harum rerum non oneraverim, quem scirem semper in legationibus esse solere, quodque illi non scribam: vix enim hic licet, tanta sub hoc iter negotiorum moles nobis incumbit: nec minus, imo multo magis frater occupationibus obruitur, ita ut constitutum nondum habere possit, utrum, non dico ad alios amicos, sed ad te quoque, quod maxime cupit, scribere aliquem omnino characterem poterit. Opinor Caesarem non Italiam modo, aut Germaniam, aut Hungariam,

 sed

sed Flandriam quoque hoc itinere peragraturum; quo postremo matrem consolaberis, si forte nostri desiderio cruciabitur. Frater uxore amissa, ac iam expeditior, non videt quomodo Caesari, eum a se dimittere recusanti, parere non debeat aut possit: itaque utrique nos in omnes casus praeparamus, decus accessurum familiae nostra magnum arbitrantes, si ex iis fratribus, qui iam pridem bonis artibus nomen sibi pepererunt, duo etiam strenue militasse intelligantur. Non vacat nunc scribere nec *D. Pauw*, nec item D. Archidiacono *Nigri*, quos mihi ex animo bene velle intelligo; quare me illis quam humillime commendes obsecro. Vale. Madriti.

Frater uxore amissa.] Vide notas ad Lib. II. el. 10.

V I.

FRAGMENTUM EPISTOLAE AD HADRIANUM MARIUM FRATREM.

Solet in campum habitationi nostrae vicinum cum proceribus suis saepe numero prodire Caesar, ac se suosque omnis generis equestribus ludis exercere.

Nunc

Fragmentum] Edidit in suis editionibus Scriverius. Etiam epistolas Secundi, typis non descriptas, memorat D. Heinsius in Amoribus Baudii p. 339, sed has ipsas esse puto, quas inter Gudianas exhibuit Burmannus, a nobis supra expressas.

Nunc torto simulat simum diademate Maurum,
Nunc Mahumetanae gentis memor induit arma,
Doctus equo profugos volucri praevertere Parthos,
Vulnera missilibus longe serit irrita cannis
Arduus, inque iuba fugiens incurvus anhelat.
Illum omnes unum Dryades, et Oreades omnes,
Illum suspirant liquidae per flumina Nymphae,
Occultaque stupet innixus ab arbore Faunus.

OPERUM IOANNIS SECUNDI FINIS.

(*) TESTIMONIA
EXCELLENTISSIMORUM QUORUMDAM VIRORUM
DE
IOANNE SECUNDO.

THEODORI BEZAE.

Excelsum seu condit Epos, magnique Maronis
Luminibus officere studet:
Sive leves Elegos alternaque carmina, raptus
Nasonis impetu, canit:
Sive lyram variis sic aptat cantibus, ut se
Victum erubescat Pindarus:
Sive iocos, blandosque sales Epigrammate miscet,
Clara invidente Bilbili:
Unus quatuor haec sic praestitit ille **Secundus**,
Secundus ut sit nemini.

GU-

(*) Testimonia clarissimorum virorum exhibere de scriptore, cuius petrocinium suscepisti, id est tutum te praestare adversus quoscumque reprehensores. Longum vero sit omnes Secundi laudatores enumerare. Principes elegimus: Alciatum, Vigl. Zuichemum, J. C. Scaligerum, Grotium alio loco memoravimus.

GULIELMI CRIPII.

Ad lectorem.

Dum parat varias vices amoris,
Et suos gemitus, suosque risus,
Suas delicias, suosque luctus
Versu scribere sedulus Latine,
Scribenti Venus adstitit Secundo,
Atque istum praeeunte verba nato
Dictavit lepidum aureumque librum.
Quem si tu temerarius reprendis,
Lector, numina nec times Deorum,
Non impune tibi, proterve, abibit.
Extorrem Venus esse te Cythera,
Et Papho iubet exsulare et Ida;
Utque inter sine Gratiis venustas
Contemtissimus ambules puellas.
Et si haec poena tibi levis videtur,
Maiorem Veneris puer reposcet.

(*) HIERONYMI MONTII MEDIOLANENSIS
AD IOAN. SECUNDUM
ELEGIA.

Basia dum nostrae legerem tua nuper amicae,
Laudarem docti vatis et ingenium;
Et

(*) Ad *Hieronymum* hunc *Montium* est ipsius Secundi elegia septima Libri III. pro missis sibi Elegiis et Epigrammatis. Alia Montii el-

Et facilem blando mitemque in amore Neaeram,
Mutua quae sumsit basia, quaeque dedit:
Risit, et, haec, inquit, non me tibi linea iungit:
Sat sit, si casto pectore semper amem.
Nec mihi te tota iuvenis sit gratior urbe,
Ille licet longo stemmate clarus eat;
Ambulet et tumidus, famulorum longa sequatur
Quod series, opibus[1] luxurietque suis.
Ergo mihi semper nutus dicentur inanes?
Aut si quid blando forte locuta sono es,
Dicetur, quoties arrides, perfida, mentem
Ut rapis, et sensus subtrahis ipsa meos?
Nec finis speranda meis in amoribus ulla?
Nec fas ulterius te mihi posse frui?
Ah valeat, quicumque gravi servire puellae,
Et potuit lentam sustinuisse moram;
Atque illam medio interdum sectarier aestu,
Hiberna vel cum terra adoperta nive est,
Indutas Claralem habitum si forte Sorores,
Seu tectas picea visere veste cupit;

Aut

elegia ad Secundum edita est in T. II. Syll. Epist. p. 220. ibidemque exstant carmina eiusdem ad Hadr. Marium aliosque scripta: et ad eum et M. Ant. Caimum, Mediolanensem utrumque, est Hadr. Marii Elegia in eius Poëm. p. 71. e qua colligitur, Montium simul cum Secundo Avarici Biturigum Alciatum audivisse. Aliunde de eo nihil mihi innocuit, cum ne Tiraboschius quidem eius mentionem faciat. Poëtam eximium fuisse haec pauca carmina ostendunt.

v. 5. *Linea*] Ridiculo errore in omnibus Scriverii editt. excusum est *tinea*.

Aut delubra Deûm festa cum luce frequentat,
Et media incedit conspicienda via;
Sive illam iuvenes in equis concurrere, fracta et
Pectus in adversum cernere tela iuvat:
Et tam immite iugum et tam durum sponte subire,
Aspera tot rigidae verba pati dominae.
Quam melius fera castra sequi, Martemque ferocem,
Aut docta miseros voce iuvare reos!
Ne mea mens gravibus deserviat anxia curis;
Differat et nomen garrula turba meum;
Neu quisquam dicat: nimis infeliciter ardet;
Decipit hunc multis cauta puella modis.
Sic suadent comites, et sic suasere propinqui,
Quis curae est, ut honor sit sine labe meus.
At tu constanti felix in amore, Secunde,
Basia post dominae millia multa tuae
Narrabis nunc amplexus, nunc dulcia furta,
Nunc te intromissum nocte silente canes;
Sic, ut te attonitus legat et commendet Iberus
Ludentem variis carmina docta modis.
Miretur Scaldimque Italus, miretur et Hagam,
Quae primum versu cognita terra tuo est.
Iulia te incautum teneris ubi cepit ab annis,
Prima favilla ignis Iulia blanda tui;

Fle-

v. 43. *Scaldimque*] Scriverius edidit *Rhenumque*: sed *Scaldimque*, utpote magis hic appositum, revocavi ex Lugdunensi Gryphii, quae etiam exhibet hanc elegiam.

v. 45. *Iulia te incautum teneris ubi cepit ab annis.*] Hinc edi-

li-

Flebilibusque elegis docuit te scribere amores,
Unde illi nomen fama perenne dabit.

ligeres Iuliam fuisse Haganam: sed Machliniensem fuisse evincunt ipsa Secundi carmina, praesertim L. I. el. 9. v. 27. ss. Potuit autem Montius, utpote peregrinus, qui sciebat Secundum Haga esse oriundum, facile induci, ut crederet etiam Iuliam eiusdem urbis civem esse.

PETRI NANNII,
in Praefatione ad Bucol. Virg. p. 19.

Non omittendus est Ioannes Secundus, patria mihi et familiaritate coniunctus, vir amoenissimi ingenii et stili: et, quamvis adolescens, facile tamen inter scriptores sui aevi principatum in elegiae carmine tuetur. *Vid. idem* in Miscell. L. III. c. 1. p. 75.

HADRIANI IUNII,
in Batavia C. XVI. p. 236.

Dedit Haga felicissimum et ab ipsis Musis effictum ingenium Ioannis Secundi, cuius in poëmatiis omnes veneres et elegantiae Catullianae renident. Qui, si par contigisset a fatis aetas, Umbrum vatem in Elegiis longo post se intervallo reliquisset: cuius *Basia* vivent, dum basiis amantium ora patebunt: cuius in exprimendis per ectypas imagines vultibus elegantiam, et lineamentorum subtilitatem cum nostra mirabitur, sed non satis explebit se, postera aetas.

IA-

IANI DOUSAE PATRIS
in Praecidan. Catullian. C. IV. p. 31.

Secundus noster, nuperus quidem poëta et novitius, ceterum nulli antiquorum (praefiscine hoc dixerim) meo iudicio secundus. *Vid. idem ibid.* C. IX. p. 53. *Et in laudem principum utriusque Germaniae poëtarum*, Secundi *cognomento insignium*, Ioannis Nicolaii Hagiensis *et* Petri Lotichii Secundi, vide eiusdem carmen Lib. I. Epodon Carm. VIII. p. 236.

PETRI SCRIVERII
in animadv. ad Martial. L. VI. epigr. 74. p. 148.

Ianus Secundus noster *Hagiensis*, poëta cum veteribus comparandus, et nulli recentiorum secundus.

HUGONIS GROTII
in Carmine, quod legitur in eius Epistol. p. 887.

Durae mentis, iners, merumque rus est,
Si quem Basia non iuvant Secundi.

CASPARIS KINSCHOTII
Poëm. p. 183.

Haga sui quamvis se iactet Principis aula,
Plus debet cunis, magne Secunde, tuis.

IANI BROUKHUSII
Carm. Iuvenil. p. 466.

Iulia melliti iuvenilis flamma Secundi,
Iulia, Romana pagina digna manu,
Iulia fama tua est; quam dum mirabitur aetas
Postera, et attentis imbibet auriculis,
Ingenia ac mores formasque stupescet in una,
Et Veneri veneres praeferet usque tuas.

Apud eundem in notis ad Tibullum et Propertium passim audiit Venerum pater, Veneris Romanae columbus, dulcissimus Charitum ac Veneris pullus, *et quae sunt id generis alia admirationis plena testimonia, quibus si singulas singulorum laudes addere vellem, finem dicendi non invenirem. His igitur omissis nostra qualicumque opera decoro exornatus vestitu in publicum iam prodeat Propertius ille Belgicus.*

INDEX I.

RERUM ET VERBORUM

IN NOTIS

AD

IOANNIS SECUNDI

POËMATA.

A.

Cui

Par-

R.

S.

Sub-

INDEX II.

VIRORUM ET FEMINARUM, QUORUM MENTIO FIT IN OPERIBUS SECUNDI.

NB. Qui sic † notantur, de iis in notis latius agitur.

† Isa-

Phi-

INDEX III.

SCRIPTORUM VETERUM,

QUI IN NOTIS AD SECUNDUM OBITER VEL EMENDANTUR VEL EXPLICANTUR.

CORRIGENDA.

In Diss.

p. XXVIII. in nota lege: *Bituriges.*

p. XXX. extr. substituendum: *Maio a.* 1533. Vid. nota T. II. p. 274.

p. XXXIII. v. 5. leg *altas.*

p. LII. Editionibus memoratis addatur alia, quae novissime prodiit in Germania:

Ioannis Secundi Basia, *elegantiae studiosis Basiatoribus offert* Carolus Poppo Froebel, *Typographus. Rudolphopoli.* 1819. forma minima.

Tom. I.

p. 1. v. 10. leg *decessorem.*

p. 37. Quae in nota ad v. 76. dixi, Charontis cymbam perperam dici Lethaeo amne vehi, id imprudentius mihi excidit, si quidem nititur auctoritate Tibulli, III. 3. v. 10. ubi conf. tamen Heyn.

p. 95. in nota v. ult. leg. *incipere.*

p 96. Quod in nota ad v. 63. scripsi de genitivo *mensum*, illud scripsi immemor Ovidii, qui Met. VIII. v. 500. et Fast. V. v. 187. et v. 424. eodem genitivo usus est, ob id tamen iam a Prisciano aliisque notatus. Vid. interpp.

p. 119. In capite paginae leg. Lib. II. eleg. V.

p. 172. v. 15. leg. *uitae.*

Tom. II.

p 116. v. 35. leg. *Vive.*

p. 158. v. 201. leg. *Cytherea.*

Reliqua aut calami aut operarum vitia, praesertim quae ortographiam spectant, Tu, L. B., pro eruditione tua corrigas, mihi ignoscas oro, quippe qui ab impressionis loco longius remotus fuerim.

Digitized by Google